B
f:25. £.2
Sf 149
B. f.45.f.2

CA A·f·19·

IOANNIS BOTERI BENENSIS DE REGIA SAPIENTIA

Libri tres.

Quibus ratio Reipub. benè, fæliciterq; adminiſtrandæ continetur.

AD CAROLVM EMANVELEM
SERENISS. ALLOBROGVM
DVCEM, ETC.

CVM PRIVILEGIO.

ALESANDRINA



MEDIOLANI,

Apud Pacificum Pontium. Cum licentia Superiorum.
M. D. LXXXIII.

RENATI LVSINGII, ALYMAEI.

AD SERENISSIMVM DVCEM ALLOBROGVM, ETC.

SVMMA in te elucet ſapientia, maxime Princeps,
In magno vt virtus ſumma parente fuit.
Ille, ferox bello, Scalden concuſſit, & Albim;
Per te, clauſa bifrons limina Ianus habet.
Viribus ille hoſtem domuit; tu, mitis, & æquus,
Iuſtitiæ frænis ſubdita corda regis.
Imperij fines ille amplificauit, & auxit;
Te duce, diuini numinis auctus honos.
Vrbibus ille ſuis validas circundedit arces;
Tu firmas vrbes relligione tuas.
Regnum, alter veluti Dauides, ille parauit;
Ceu Salomon, partas ipſe tueris opes.

Eiuſdem.

INſtituant alij proceres, Botere, minores;
Magnanimos Reges poſſe docere tuum eſt.

Magij Benij.

SCribere quæ doctis placeant, ſcriptoris ab vndis
Vindicat infernis, clare Botere, decus.
Scribere, ſed magnis placeant, quæ Regibus olim,
Cœlo æquat nomen, clare Botere, tuum.

Auctores, quibus, in his libris ſcribendis, præter ſacra biblia, vſi ſumus.

D. Hieronymus.
Tertullianus.
Saluianus.
Euſebius.
Nicephorus Monachus.
Theodoretus.
Zonaras.
Simon Metaphraſtes.
Oſius Cardinalis.
Hieronymus Oſorius.
Ioannes Barrius.
Litteræ Patrum Societatis IESV.
Franciſcus Guicciardinus.
Pandulphus Collenuccius.
Raphael Volaterranus.
Carolus Sigonius.
Vallius rerum Gallicarum Scriptor.
Georgius Scholaris.

CAROLO

CAROLO EMANVELI
SERENISS. ALLOBROGVM
D. V C I. &c.
Ioannes Boterus felicitatem.

NON multis ab hinc menſibus, cum, in nobiliſs. uirorum conuentu, ortus eſſet de rebus Belgicis, me præſente, ſermo; reſque à finita quæſtione ad infinitam reuocata eſſet, & de ratione Reip. gerendæ, ſenſim inſtituta diſputatio; eò tandem deuentum eſt, ut plerique in ſententiam, ſiue potius hæreſim, Nicolai Macchiauelli, hominis ſanè ingenioſi, ſed parum Chriſtiani, propendere viderentur, atque aſſererent, Regem ſi maieſtatē ſuam ſaluam, atque incolumem eſſe uelit, non oportere, intra Euangelii fines, adminiſtrationis ſuæ rationem continere. Reſpondi tunc, pro loci, & pro perſonarum conditione, quæ viſa ſunt; atque oſtendi ſuperiorum ætatum commemoratione, raró admodum rerum gerendarum fœlicitatem fuiſſe a vera pietate diſiunctam. Reſedit deinde mihi in animo vehemens deſiderium, opinionis, & a veritate, & ab omni ſpecie religionis alieniſſimæ, aliquanto copioſius refutandæ, & ex omnium ſenſibus euellendæ. Quod quidem præſtare conatus ſum his tribus libris, quibus totidem axiomata, diuinarum litterarum teſtimoniis, atque auctoritate, (cætera enim nullo meo ſtudio, quaſi ſponte ſua irrepſerunt in ipſam ſcriptionem) oſtendo. Primum axioma illud eſt Regna, victo-

ctoriaſq; à Deo pendere: alterum, ea hiſce rebus conſeruari, quæ res Deum nobis conciliant: poſtremum, hiſce euerti quibus Dei in nos ira accenditur. rem totam nudè, & ſimpliciter explicaui. Cur autem hæc in tuo nomine uoluerim apparere, multæ cauſæ fuerunt. Imprimis quidem, quod hos ingenij mei, licet exigui, fructus, iure quodam naturæ, tibi me debere ſentiebam. Sum enim natus Benis, oppido non ſolùm iuris tui, ſed etiam tibi, propter loci opportunitatem, & incolarum fidem, atque uirtutem, cariſſimo. Accedit ad ius naturæ uoluntas tibi addictiſſima. ſequitur uoluntatem ingenium. altera cauſa eſt, quòd nullus eſt in orbe Chriſtiano Princeps, Regiæ Sapientiæ laude præſtantior. quam rem facilè demonſtrarem, niſi tu tam odiſſes adulationem, quàm ſapientiæ ſtudes. ſed hærebam tamen & in conſilio capiendo uel pudor quidam meus naturalis, uel rei paruitas me retinuiſſet: niſi animum erexiſſet mihi fama tuæ ſingularis humanitatis. Hæc animum uacillantem confirmauit, incertum impulit ut has meas lucubrationes, de Regia Sapientia, tibi dedicarem. Acceſſit hiſce cauſis, Ioannis Baptiſtæ à Sabaudia, uiri, non ſanguinis magis, quàm animi nobilitate, præſtantis, auctoritas. Excipe igitur hoſce libros eo uultu, quo, Alexandri Magni more, humilia efferre, parua amplificare ſoles, uel quia de re omnium grauiſs. & tibi cariſs. diſſerunt; uel quia ab homine tui iuris, uel quia tuæ ſingularis humanitatis fiducia, uel quia ampliſſimi uiri hortatu, tibi conſecrantur. Quod ſi hæc non mouent, moueat quia ex optimi, atque ampliſs. Card. Borromæi, cuius eximiam in te caritatem, cum alias ſæpe, tum in aduerſa ualetudine, qua nouiſſimè laboraſti, omnes perſpexerunt, ædibus prodeunt.

SENTENTIAE

Ex primo Libro.

VT ſolem aſpicere, ſine ſolis luce, nemo poteſt; ita neque Deum, ſine Dei dono, agnoſcere.

Regna pietate fundantur, atque conſeruantur.

Pietas, extra Eccleſiam Chriſtianam nulla eſt.

Semper videtur gloria militaris cum religione fuiſſe coniuncta.

Ex ſecundo Libro.

REligio eſt omnis principatus fundamentum.

Ad victoriam obtinendam plus confert Sacerdos, quam Imperator.

Potentiam religio parit, non religionem potentia.

Victorię orationis ardore potius, quàm militum robore obtinentur.

Dei uis, ac potentia in iis maximè rebus elucet; quibus vel magna minuuntur, uel parua amplificantur.

Reges debent, ut dignitate cæteros antecedunt, ita Deo ſeſe quam maximè ſubmittere.

Facinoroſorum hominum ſocietas bonis uiris calamitoſa eſſe ſolet.

Bonorum hominum ſodalitas malis ſemper utilis, [illegible]lutaris fuit.

Dei muneribus improbi ſæpe, propter bonorum ſocietatem participant.

Vt culpa omnem in nos rerum naturam armat, & concitat: ita, pœnitentiæ beneficio, omnia nobiſcum in gratiam redeunt.

Eò glorioſior, atque illuſtrior quiſque exiſtit, quò diuinæ gloriæ ſtudioſior eſt.

Ex Libro III.

Humana prudentia in maximis ſæpe rebus cæca eſt; aut certè lippa.

Stulta eſt omnis ſapientia, quæ alia re, quam Dei virtute nititur.

Humana omnia tenui filo pendent.

Reges, & exercituum duces nihil aliud ſunt, niſi ſecures, & ſerræ, & baculi, quos Dominus nunc deprimit, nunc ſublimè effert.

Nulla eſt ſtabilis, ac firma Imperii conſeruandi, tuendique fiducia, nulla ratio, præter eam, quæ ex diuina bonitate pendet.

Nullum ſcelus eſt Deo blaſphæmia odioſius; nullum Reip. pernicioſius.

Nihl eſt Deo maiori curæ, quam viduæ, pupilli, inopesq; male habiti.

Non eſt iuuenum dare, ſed accipere cõſilium.

Omnis miſeriæ cauſa eſt peccatum.

Vt nobis hoſtes deſint, niſi nos ante peccare deſierimus, fieri non poteſt.

VIRORVM AC LOCORVM QVAE IN IIS TRIBVS LIBRIS COMMEMORANTVR.

Index.

A.

*A*riſtoteles. 7.
Abias. 8.
Antoninus Imper. 12.
Agnes. 12.
Alexander III. 86.
Alexander Magnus. 13. 30. 113.
Alexandria. 57.
Aſia. 13. 38. 39. 41. 42. 68. 86. 112. 113.
Antiochia Syriæ. 13. 17.
Antiochus Rex. 64. 71. 89.
Aſſyrij 14. 47. 51. 63. 64. 68. 77. 104. 110. 112.
Achimaas 15.
Achabus ſiuè Achab. 16. 26. 44. 50. 58. 59 90. 95. 106. 107.
Achitophel. 16.
Abſalon. 16.
Aſa. 19.
Aodo. 21.
Amorrhei. 20. 22. 24.
Albis. 23.
Alphonſus Congi Rex. 23.
Azeca. 25.
Abraham. 28. 55. 56. 61.
Amalechitæ. 28. 29. 185.
Aaron. 29.
Abiathar. 29.
Adonias. 29.
Alphonſus II. Rex Hiſp. 30.
Alphonſus III. 30.
Alphonſus V. 91.
Alphonſus VIII. 30. 31.
Africa 30. 31. 40. 41. 88. 110. 112. 113.
Arabia. 30.
Arabes. 40. 80. 109.
Aurea Cherſoneſus. 30.
Auſtria. 31.
Auſtriæ Principes. 31.
Abſpurgum. 32.
Amurathes. 33.
Alba Greca. 33.
Allobrogum Duces. 33.
Amadeus II. Allobrogum Dux. 33.
Amadeus III. 33.
Amadeus IIII. 33.
Amadeus VII. 33. 34.
Amadeus V. 33.
Amadeus VIII. 34.
Aymo Allobrogum Dux.
Albigei. 33.
Allobroges. 34.
Albertus Dux Bauariæ. 34.
Aurelia. 36.
Armuzia. 41.
Alphonſus Alburquercius. 41.
Aſaph. 43.
Azael. 45.

†† *Ara*

Arabicum mare. 47.
Apollonius Syriæ Regis Dux. 48.
Aiſtulphus Rex longobardorum. 52.
Alpes. 52.
Adrianus pont. max. 52.
Alphonſus I. Eſten. 53.
Alphonſus II. Ferrariæ Dux. 53.
Alphonſus II. Rex Neapolis. 111.
Aluyſius Cardinalis Eſten. 53.
Actius Eſten. 53.
Aldobrandinus Eſten. 53.
Ancona. 53.
Abimelech Rex Geraræ. 96.
Arbogaſtes. 57.
Aurelius Antoninus. 58.
Arad. 65.
Ammon. 65.70.74.77.99.106.110.
Aſſur. 69.70.
Abdias. 70.99.103.
Arphaxad. 71.
Amaſias. 73.
Antoninus caracalla. 78.
Aquileia. 78.
Aurelianus. 78.
Anaſtaſius. 80.
Anthemius. 82.
Aripertus Galliæ Rex. 83.
Angli. 83.91.
Abdua. 84.
Agagus. 85.
Azarias. 85.
Alcina pellex. 86.
Abdala ſaracenus. 91.
Alphonſus iunior Aragonius. 92.
Adonibezecbus. 100.
Acban. 104.
Arnulphus. 104.
Achior. 110.
Afri. 110.
Atila. 110
Ariſtoteles. 112.
Armenia. 113.
Aegiptus. 14.24.50.57.62.66.68.75.77.80.
Aegiptij. 13.19.57.66.75.98.
Aethiopia. 2 30.
Aethiopes. 19.24.25.40.109.

B.

Baruch Propheta. 5.
Burgundiones. 9.
Babylon. 10.51.67.68.97.104.
Babylonij. 67.77.97.100.110.113.
Balſaſar. 10.69.104.
Beniamin. 16.
Belgæ. 9.22.
Barach. 24.
Benadad. 26.45.106.
Britannia. 29.30.83.
Bœtica. 31.
Bauaria. 34.
Bauariæ Duces. 34.
Batorum familia. 35.
Bonæ ſpei promontorium. 40.
Benedictus XII. Pont. max. 53.
Barnabas Vicecomes. 53.
Bortius eſten. 53.
Bonifatius VIII. 54.
Baldadus ſuhites. 76.
Beelzebub. 77.
Bulgari. 80.81.82.
Bithynnia. 80.
Bentiuoli. 83.

Bizantium. 87.
Brunduſium. 88.
Baaſa. 77.95.
Bethſabee. 106.
Beniamitæ. 106.

C.

Clodoueus. 9.105.
Caluinus. 9.
Caluiniani. 115.
Clotildis. 9.
Chaldæi. 10.100.
Cecilia virgo. 12.
Cæſar. 13.32.
Chuſi. 15.
Ceila. 16.
Chuſai. 16.
Cananor. 18.
Carolus V. 23.31.
Congi Regnum. 23.40.
Cunto. 29.
Carmania. 30.41.48.
Carmanicum mare. 41.
Conſtantinus Magnus. 31.
Corduba. 31.91.
Cantabria. 31.
Chriſtophorus Columbus. 31.
Carol. Eman. Allobrogũ Dux. 34.
Carolus Cardin. Borromæus. 34.
Creſſium. 35.
Claudius Guiſiæ Dux. 36.
Carolus Cardinalis Lothoringius. 37.38.39.
Carolus Dux Meynæ. 37.
Coſmus Magnus Medices. 49.
Coſmus Magnus. 40.
Caat. 43.
Core. 43.
Carolus IX. 46.52.104.
Conradus. 53.
Callium. 54.
Chriſtophorus Cardinalis de Ruere. 54.
Camerinum.
Cericus. 57.
Comodus. 78.
Carræ. 78.
Conſtantius. 78.
Conſtantinopolis. 80.92.105.111.114.
Conſtans. 80.
Cõſtantinus Copronymus Imp. 80.
Cherſona. 80.
Conſtantinus Pont. Max. 82.
Conradus. 83.
Carolus Andegauenſis. 83.
Clotharius. 83.
Carthago. 108.
Carthaginenſes. 86.108.
Cantacuzeni. 92.
Calloiannes Ponti Imp. 92.113.
Choſdroas. 89.
Corinthus. 95.
Charmi. 104.
Cyprus. 114.

D.

Daniel. 6.10.
Dauid. 6.7.8.11.15.16.17.21.24.25.26.42.44.46.47.49.54.61.62.72.73.94.96.97.106.109.
Debora. 15.24.
Dominicus. 22.
Dacia. 35.
Druidæ. 36.81.
Diu. 41.
Deſiderius Rex Longobardorũ. 52.

Dominicus Card. de Ruere. 54.
Domitius Nero. 78.
Domitianus. 78.
Decius. 78.
Diocletianus. 78.
Diuionum. 83.
Dunſtanus. 86.
Dedan. 102.
Dionisius Areopagita. 105.
Eliſeus. 8. 20 44.58.87.
Echinades Inſulæ. 22.
Ezechias. 26.47.51.63.73.
Edeluulphus. 29.
Europa. 30.33.86.88.92.112.113
Emanuel Philibertus Dux Allobrogum. 34.
Emanuel rex Luſitaniæ. 40.41.48.
Edom. 44 70.102.
Euphrates. 47.
Eſtenſes. 83.53.
Eleazarus. 63.
Eſaias. 63.
Ephraim. 73.109.
Epaphoditus. 78.
Euthiches. 80.
Eudoxia Imperatrix. 82.
Eliezer Propheta. 91.
Eduinus 86.
Ezechiel. 97.99.
Eſau. 99.103.
Epyrus. 113.

F.

Ferdinandus Aragonius. 10.111.
Ferdinandus I I. 30, 31.
Ferdinandus catholicus. 30.31.91.
Ferdinandus à Bauaria. 34.
Ferdinandus Rex Romanorum. 92.
Franciſcus Guiſiæ Dux. 36.39.
Ferraria. 53.
Ferrarienſes. 84.
Feltrij Principes. 54.
Franciſcus Maria de Ruere I. Vrbini Dux. 54.
Franciſcus Maria de Ruere I I. 54.
Franciſcus Feltrius Vrbini Vicarius. 54.
Federicus Feltrius Dux Vrbini. 54.
Federicus I I. Impe. 82.87.
Federicus Aragonius. 92.
Federicus Aenobardus. 86.
Fauentia. 84.
Flaminia. 84.

G.

Gallia. 9.13.22.36.37.46.52.72.81.83.87.88.105.110.
Gallia tranſpadana. 84.
Gundebaldus. 9.
Germania. 9.12.13.34 35.37.87.113.
Germani. 9.84.87.
Germani Imperatores. 53.82.
Galli. 10 46.52.81.84.85.92.110.111.114.
Galliæ Reges. 52.
Gedeon. 19.21.
Goa. 20 41.
Gulielmus Aurantius. 22.
Goliath. 26.46.72.

Gre-

Gregorius I I. 82.
Gregorius X I. 33.
Gabriel Cardinalis Paleotus. 34.
Gulielmus Dux Bauariæ. 34.
Guiſia. 36.
Guiſiæ Duces. 36.
Gaſpar Collineus. 37.
Gotifredus. 13. 17. 38. 114.
Ganges. 41.
Græci. 48. 87. 112. 113. 114.
Græcia. 95.
Gregorius I X. 53.
Guidus Antonius Feltrius Callij Dux. 54.
Guidobaldus de Ruere I. Vrbini Dux. 54.
Guidobaldus de Ruere I I. 54.
Gerara. 56.
Gomorrha. 70. 108.
Gothi. 78. 111.
Gallienus. 78.
Georgius Scholaris. 82.
Germanus Pariſiorum Epiſ. 83.
Gabaonitæ. 106. 108.
Gabaa. 107.

H.

Hebrei. 1. 19. 24. 61. 65. 98. 101. 106. 113.
Hieronymus. 8.
Hieroſolyma. 13. 17. 38. 43. 44. 47. 50. 51. 52. 55. 58. 59. 61. 71. 90. 95. 109.
Hierico. 14. 20. 104.
Hieruſalem. 100. 101. 103. 107.
Hai. 19. 104.
Hethei. 19. 20. 25.
Heuei. 25.
Hidalcanus. 20.
Holophernes. 22. 96. 110.
Hieronymus Oſorius. 23.
Hur. 29.
Heli. 2.
Hibernia. 3.
Hiſpani. 30. 84. 92. 108. 110. 114.
Hiſpania. 31. 41. 108. 110. 113.
Hiſpal. 31.
Herneſtus a Bauaria. 34.
Henricus Guiſiæ Dux. 37. 39.
Henricus I. Imperator. 53.
Henricus II. 53.
Henricus III. 53. 87.
Henricus IIII. 82.
Henricus Galliæ Rex. 72.
Henricus Britanniæ Rex. 83.
Hæmus. 38.
Hetruria. 40.
Hercules Ferrariæ Dux. 54.
Hieronymus de Ruere. 54.
Helias. 50. 51. 107.
Hieremias. 9. 55. 60. 67. 70. 101.
Horma. 65.
Herodes. 71.
Heraclius. 80. 105.
Heluetij. 83.
Hunni. 110.
Hæretici. 112.

I.

India. 2. 30.
Indi. 18. 40. 48.
Iacobus Apoſtolus. 6. 20.
Iudei. 6. 8. 14. 19. 20. 21. 24. 25. 42. 43. 44. 50. 52. 63. 71. 74.

74. 75. 77. 84. 90. 96. 99.
100. 102. 103. 107. 110.
Ieroboam. 8. 77. 95.
Iudea. 9. 47. 48. 50. 61. 62. 71.
95. 106. 109.
Iehu. 8. 61. 62. 63. 90. 95.
Iudeorum Principes. 77. 93.
Iudeorum hoſtes. 103.
Ionathas. 15. 19. 97.
Ioab. 15.
Idumæa. 17. 44. 70. 99. 102. 103.
Idumei. 71. 99. 102. 109.
Ioſua. 16. 19. 20. 22. 24. 28. 29.
104.
Iabel. 19. 22.
Iudas. 19. 21. 3 48. 58. 61. 62. 96.
Ioannes Apoſtolus. 20.
Iephte. 21. 65.
Ioannes Auſtrius. 22.
Iudith. 22.
Iuo. 29.
Ioannes. 29.
Ioãnes Federicus Dux Saxoniæ. 31.
Ioannes Hunniades. 33.
Ioannes Imperator. 33.
Ioannes III. Luſitaniæ Rex. 40.
41. 65.
Ioannes Nauarræ Rex. 91.
Ioſias. 41.
Ioſaphat. 43. 44. 47. 58. 62. 90.
Iabaziel. 43.
Ioel. 44.
Ioachaz. 45. 77.
Iacobus Niſibis Epiſcopus. 45.
Iacobus Stuardus. 91.
Iezabel. 50. 95. 107.
Ioas. 52. 95. 96.
Italia. 52. 81. 83. 86. 113.
Ioannes XII. 53.
Ioannes XXII. 83.
Innocentius I. 83.
Innocentius III. 53.
Innocentius II. 83.
Iulius de Ruere Cardinalis Vrbinas. 54.
Iulius II. 54. 83. 84.
Iulius III. 54.
Iacob. 56. 61. 100. 103.
Ioſeph. 57.
Ionas. 69.
Iſaac. 61.
Ioram. 61. 109.
Ionadabus. 63.
Iob. 76.
Ioachim. 77.
Iulius Maximinus. 78.
Ioannes Chriſoſtomus. 83.
Iuſtinianus iunior. 80. 86. 114.
Iulianus apoſtata. 90.
Iulianus comes. 108.
Iſabella Vngariæ Regina. 92.
Ioannes. 97.
Iſacius. 105.
Iacobus Chirurgus. 111.

L.

Lyceum. 7.
Lutherus. 9.
Lutherani. 115.
Laurentius Brixius. 18.
Luſitania. 30. 40. 41. 48. 49. 65.
Luſitaniæ Reges. 40.
Luſitani. 65.
Ludouicus Borbonius. 22.

Leo III. 52. 82.
Leo IIII. 29.
Leo X. 54.
Leo Iſaurus. 80.
Leo Armenius. 81.
Ludouicus Galliæ Rex. 33.
Ludouicus Bauarus Imp. 82. 87.
Ludouicus Dux Allobrogum. 34.
Ludouicus XII. Galliæ Rex. 83. 84. 91.
Ludouicus Sfortia. 92.
Liuonia. 36.
Longobardi. 52. 80. 81. 88.
Laban. 56.
Loth. 56.
Latus. 78.
Licinius. 79.
Leo Copronymi filius. 104.
Leodium. 82.
Libanius Sophiſta. 90.
Lobna. 109.
Leonardus. 111.

M.

Moyſes. 1. 7. 24. 28. 29. 61. 63. 78. 87.
Medi. 10. 69. 71. 104. 112. 113.
Marcomanni. 12. 58.
Macedonia. 113.
Mæſia. 13.
Micheas. 16.
Madianitæ. 19. 63. 77.
Moab. 79. 74. 77. 99. 102. 103.
Moabitæ. 19. 43. 44. 63. 97. 99. 113.
Marcus Antonius Columna. 22.
Melchiſedech. 28.
Machabæi. 28. 64.
Mauritannia. 30. 40. 41. 48. 65.
Mathias Coruinus. 33.
Moſcouia. 35.
Moſchi. 35.
Medicei. 40.
Mazaganum vrbs. 40.
Malaca vrbs. 41.
Manaſſes. 41. 5. 77. 107.
Michol. 49.
Mediolanum. 83.
Mediolanenſes. 53. 86.
Marcellus Pont. Max. 54.
Matathias Princeps Machabæorũ. 64.
Memphei Principes. 66.
Meſopotamia. 77.
Martia Concubina. 78.
Maſſilia. 78. 86. 108. 110.
Maximianus. 78. 79.
Monothelitæ. 80.
Michael Traulus. 81.
Monslongus. 83.
Manfredus. 83.
Martinus Pont. Max. 86.
Medarſes. 89.
Mauritius Imp. 104.
Miphiboſeth. 106.
Matheus Magnus Vicecomes. 111.

N.

Nabuchodonoſor. 9. 10. 27. 41. 68. 69. 73. 74.
Nicolaus Macchiauellus. 12. 15.
Nicæa. 13.
Neapolis. 10. 83. 111.
Neapolitani Reges. 88.

Neapolitanum regnum. 31. 54.
Nilus. 38. 47.
Nechao. 41.
Niſibis. 45.
Nicephorus Monachus. 45.
Nicanor. 48.
Naboth. 50. 107.
Nabath: 95.
Nicolaus Claudus Eſten. 53.
Niniuitæ. 59. 60.
Nauarra. 83. 91.
Normanni. 104.
Nathan Propheta. 106.
Noë. 108.

O.

Oceanus Atlanticus. 30. 41. 48.
Oſius Cardinalis. 32.
Oriens. 42. 57. 58. 105.
Orientis Imper. 42. 79. 87.
Occidentis Imper. 87.
Obededon. 49.
Obed. 103.
Otho I. Imperator. 53.
Otho II. 53.
Otho III. 53.
Otho IIII. 1. 82. 87.
Othomani. 112.
Opitius Eſten. 53.
Oſee. 77.
Ochozias. 77. 91.
Ozias. 85.

P.

Plutarcus. 7.
Pannonia. 13.
Priſca virgo. 12.
Perſia. 30. 89.
Perſæ. 13. 17. 45. 57. 89. 113.
Pharao. 14. 41. 57. 68. 75. 98.
Philiſtei. 15. 16. 19. 24. 42. 60. 77. 109.
Pherezeus. 20.
Pius V. 22. 46.
Petrus Apoſtolus. 29. 30.
Petrus Luſitaniæ Regis filius. 65.
Pelagius Rex Hiſp. 30.
Philippus Rex Hiſp. 31.
Poloſcum. 35.
Pleſcouia. 35.
Plato. 112.
Pariſij. 36.
Pictaui. 37.
Pylus. 37.
Parthi. 38.
Pipinus. 52.
Paulus Apoſt. 85.
Paulus II. Pont. Max. 53.
Paulus III. 54.
Pentapolis. 55. 56.
Phutiphar. 57.
Phinees. 63.
Phænicia. 67. 80.
Thaceia. 77.
Philippicus Bardanes. 80. 82.
Philippus Galliæ Rex. 82.
Paleologi. 92.
Pontus. 92. 113.
Parma. 83.
Paleſtina. 98.

Palestini. 102.113.
Puteoli. 111.
Peloponeſſus. 113.
Pannonia. 113.

R.

Rebecca. 7.
Remigius. 9.
Rhemi. 9.
Rhodus. 20.
Roma. 22.29.30.53.82.105.
Romani. 52.53.57.89.113.
Romani Imperatores. 78.
Ricardus Rex Britanniæ. 30.
Rodulphus Imperator. 32.
Rhotomagum. 36.
Roboam. 50.61.94.
Roborea familia. 54.
Ragau. 71.
Rauenna. 105.
Ramirius Hiſpaniæ Rex. 108.

S.

Syna. 1.
Salomon. 2.6.15.61.77.94.106.
Samuel. 8.42.52.84.85.
Saul. 8.15.16.17.21.49.52.60.72.77.84.85.96.106.109.
Syri. 14.19.24.26.43.52.77.90.95.96.113.
Syria. 14.39.45.48.80.
Syriacum mare. 47.
Samaria. 14.17.19.26.44.45.50.58.61.63.91.95.103.
Samaritani. 25.
Siſara. 15.19.22.24.
Saraceni. 20.31.41.80.81.108.
Sanſon. 21.
Senacherib. 25.26.89.
Salem. 28.
Sadoch. 29.
Stephanus Poloniæ Rex. 35.
Socbollum. 35.
Solimanus. 37.
Segbetum. 37.
Sebaſtianus Luſitaniæ Rex. 40.41.
Septa. 40.65.
Sapor. 45.78.
Seron. 48.
Seſach. 50.62.
Semeias. 50.
Sixtus IIII. 54.
Sodoma. 70.107.108.
Sodomitæ. 55.
Segor. 56.
Sara. 56.
Subalpini. 54.
Simon Metaphraſtes. 57.
Senuphius. 57.
Sophonias. 70.
Sedechias. 77.
Seuerus. 78.
Scytæ. 80.
Sicilia. 80.111.
Sequani. 83.
Scotia. 83.
Saluianus. 86.108.110.
Saladinus. 86.
Sergius Pont. Max. 86.
Sinochius. 89.
Seir mons. 97.99.
Sidonij. 102.
Sabæi. 102.
Sion.

Sion. 103.
Seuerinus Pont. Max. 105.
Seres. 108.

T.

Taurinorum Principes. 33.
Theodorus cœnobiarcha. 52.
Theodoſius Senior. 52.
Theodoſius iunior. 45.
Theophilus Alexandriæ Archiepiſcopus. 57.
Thomas. Vmberti Allobrogum Ducis. 33.
Thracia. 80.82.
Toletum. 91.
Tornacum. 83.
Tranſyluania. 35.
Trebellius. 80.
Turcæ. 13.20.33.41.48.82.112.113.114.115.
Tyreſia. 91.
Tyrij. 1.
Tyrus. 67.

V.

Vandali. 108.110.
Vmbertus I. Allobrogum Dux. 33.
Vmbertus II. 33.
Vmbertus III. 33.
Vgo magnus. 33.
Vilelmus Dux Bauariæ. 34.
Vilchiluchia urbs. 35.
Vrbinum. 54.
Vmbria. 54.
Victoria Farneſia. 55.
Veneti. 72.84 92.
Varius Heliogabalus. 78.
Valerianus Imp. 78.
Valens Imp. 80.111.
Viſeum. 91.
Vſſuncaſſanus. 92.
Vngaria. 92.
Vrias.

Z.

Zaza. 19.25.
Zambri. 77.
Zacharias. 95.

QVAE IN HOS LIBROS INCVRRERVNT.

Errata.	Corrige.
7 Ipſis.	Ipſi.
13. Chriſtianæ.	Chriſtiano.
13. Contenta.	Quanta.
14. Repetente.	Repetenti.
18. Brixius.	Brittius.
63. Ieheu.	Iehu.
85. Hieroſolyma.	Hieroſolymæ.
97. Babylononii.	Babylonii.
98. Seire.	Seir.
106. Achaab.	Achab.
113. Immunitas.	Immanitas.

QVAE IN HOS LIBROS INCVRRERVNT.

Errata.	Corrige.
7. Ipſis.	Ipſi.
13. Chriſtianæ.	Chriſtiano.
13. Contenta.	Quanta.
14. Repetente.	Repetenti.
18. Brixius.	Britius.
63. Iehеu.	Iehu.
85. Hieroſolyma.	Hieroſolymæ.
97. Babylononii.	Babylonii.
98. Seire.	Seir.
106. Achaab.	Achab.
113. Immunitas.	Immanitas.

IOANNIS BOTERI BENENSIS DE REGIA SAPIENTIA.

LIBER PRIMVS.

Sapientia in quo à cæteris doctrinis differat. Cap. I.

*SAPIENTIA, eò à cæteris cognitionis generibus
differt, quòd cætera in ijs modò rebus verſantur,
quæ à natura procreantur, vel ſub hominis effi-
cientiam, aut certè adminiſtrationem cadunt.
Sapientia verò, rebus humanis neglectis, natu-
raq́; ipſa penè contempta, Deum naturæ aucto-
rem, quantum ipſe concedit, contemplatur, reliquæ doctrinæ ſtu-
dio, atq; exercitatione comparantur: hæc verò non tàm ſtudio atq;
arte, quàm diuino munere, afflatuq; percipitur. nam, vt Solem
aſpicere, ſine Solis luce, nemo poteſt; ita neque Deum, ſinè Dei
dono, agnoſcere fas eſt; illæ, quaſi noctuæ quædam, incertum lu-
næ ſplendorem adamant; hæc verò, generoſæ Aquilæ inſtar, ſola
æterni ſolis luce delectatur; & vt illa non habet pro ſuis pullos, qui
diurnum iubar, rectis oculis, non ferunt: ita hæc nullam rem pro-
bat, quæ non habeat pro fine Deum. illæ cum plebe Hæbreorum,
ad Synæ montis radices, commorantur, vlterius progredi non au-* Exod. 19.
*dent; hæc ipſum verticem, cum Moyſe, conſcendit. illæ fulgura,
nubeſq; proſpectant: hæc in ipſius Dei ſuauiſſima conſuetudine con-
quieſcit. illæ cum Tyrijs marmora, materiamq; cædunt, aut ad
mare deuoluunt: hæc aut templum ædificat; aut iam extructum* Reg. 5.

cum Salomone ingreditur, & in eo ſacra facit, & vt paucis multa complectar, ſapientia nihil nouit, quod non vel Deus ſit, vel ad Deum referatur. Quò autem Rex noſter vehementius in ſapientiæ ſtudium incitetur, atq; eius amore exardeſcat, non erit abs re ſapientiæ laudes ex ſacris libris, ideſt, ex Spiritus Sancti ſcola, commemorare, ita enim fiet, vt eius præſtantia cognita, atq; perſpecta, non neſcio cuius Sophiſtæ inani oratione, ſed diuini numinis prædicatione, inuſitata eius conſequendæ cupiditas oriatur.

Sapientiæ Laudes. Cap. II.

Ex libro Iob.

Iob 25. *SApientia vbi inuenitur, & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo precium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit non eſt in me, & mare loquitur non eſt mecum. non dabitur aurum obrizum pro ea: nec appendetur argentum in commutatione eius. non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonico pretioſiſſimo. non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vaſa auri: excelſa, & eminentia non memorabuntur comparatione eius. trahitur autem ſapientia de occultis. non adequabitur ei Topatius de Aethiopia, nec tinctura mundiſſimæ componetur.*

Ex libro Sapientiæ.

Sap. 7. *VEnit in me Spiritus Sapientiæ, & præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius; nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua: & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. ſuper ſalutem, & ſpeciẽ dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam, quoniam omnium borum mater eſt ſapientia, quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.*

do. Infinitus enim Theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.

Quàm ſit vtilis Regi Sapientia. Cap. III.

Ex prouerbijs Salomonis.

POSSIDE Sapientiam, poßide prudentiam, ne obliuiſcaris, neque declines à verbis oris mei. ne dimittas eam, & cuſtodiet te. dilige eam, & conſeruabit te. Principium Sapientiæ poßide Sapientiam, & omni poſſeſſione tua acquire prudentiam; arripe illam, & exaltabit te. glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexus; dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. Prou. 4.

Sed eam ipſam Sapientiam, hac de re loquentem, audiamus. Meum eſt conſilium, & æquitas: mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo, per me Reges regnant, & legum conditores iura decernunt. per me Princeps imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, inueniunt me. mecum ſunt diuitiæ, & gloria: opes ſuperbæ, & iuſtitia. melior enim eſt fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, ut ditem diligentes me, & theſauros eorum expleam. Prou. 8.

Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur: in doctrina replebuntur cellaria, vniuerſa ſubſtantia pretioſa, & pulcherrima. uir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus, & validus. quia cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus, ubi multa conſilia ſunt. Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo; ſic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ, quam cum inueneris, habebis in nouiſſimo ſpem, & ſpes tua non peribit. Prou. 24.

Ex Eccleſiaſte.

VTilior eſt ſapientia cum diuitijs, & magis prodeſt uidentibus ſolem. ſicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pruden- Eccl. 7.

tia; hoc autem plus habet eruditio, & ſapientia, quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo. Sapientia confortauit ſapientem ſuper decem Principes ciuitatis. melior eſt ſapientia, quàm arma bellica.

Eccl. 9. *Ciuitas parua, & pauci in ea viri: Venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, extruxitq́; munitiones per gyrum, & perfecta eſt in ea obſidio, inuentuſque eſt in ea vir pauper, & ſapiens, & liberauit eam per ſapientiam ſuam.*

Ex Sapientia.

Sap. 6. *MElior eſt ſapientia, quam vires, & uir prudens, quam fortis. Hanc amaui, & exquiſiui eam à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam eam mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius: quid enim ſapientia locupletius, quę operatur omnia? ſi autem ſenſus operatur, quis horum, quę ſunt, magis, quam illa eſt artifex. Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum, ſciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit alloquutio cogitationum, & tædij mei. habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honores apud ſeniores iuuenis. Diſponam populos, & nationes mihi erunt ſubditę. timebunt me audentes Reges horrendi. in multitudine uidebor bonus, & in bello fortis. intrans in domum meam conquieſcam cum illa.*

Sapientiam eſſe à Deo. Cap. IIII.

Ex Eccleſiaſtico.

Eccl. 1. *OMNIS ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. arenam maris, & pluuia guttas, & dies ſeculi quis dinumerauit? altitudinem cœli, & latitudinem terrę quis dimenſus eſt? ſapientiam Dei prçcedentem omnia quis inueſtigauit? unus eſt altiſſimus creator omnipotens,*

tens, & rex potens, & metuendus nimis. Sedens ſuper thronum illius, & Dominus Deus. ipſe creauit illam in Spiritu Sancto, & uidit, & dinumerauit, & menſus eſt. & effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe.

Ex prouerbijs Salomonis.

D*Ominus dat Sapientiam, & ex ore eius prudentia, & ſcientia.* Prou. 2.

Ex Baruch Propheta.

Q*Voniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam. quis aſcendit in cœlum, & accepit eam, & deduxit eam in nubibus? quis transfretauit mare, & inuenit illam, & attulit illam ſuper aurum electum? non eſt, qui poßit ſcire uias eius, neque qui exquirat ſemitas eius, ſed qui ſcit uniuerſa, nouit eam. adinuenit eam prudentia ſua. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. hic adinuenit omnem uiam diſciplinæ, et tradidit illam Iacob puero ſuo, et Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris uiſus eſt, et cum hominibus conuerſatus eſt.* Baruch. 3.

Ex Sapientia.

M*Ihi autem dedit Deus dicere ex ſententia, et præſumere digna horum, quoniam ipſe ſapientiæ dux eſt. et ſapientium emendator; in manu enim illius, et nos, et ſermones noſtri, et omnis ſapientia, et operum ſcientiæ diſciplina.* Sap. 7.

Ex

Ex Danielis Prophetia.

Dan. 7. *SIt nomen Domini benedictum à ſæculo, & uſq; in ſæculum, quia ſapientia, & fortitudo eius ſunt, & ipſe mutat tempora, & ætates; transfert regna, atq; conſtituit. dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiã intelligentibus diſciplinam. ipſe reuelat profunda, & abſcondita, & nouit tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt. Tibi Deus, patrum meorum confiteor, teq; laudo, quia ſapientiam, & fortitudinem dediſti mihi, & nunc oſtendiſti mihi quæ rogauimus te, quia ſermonem Regis aperuiſti mihi.*

Epilogus Superiorum.

QVæ cum ita ſeſe habeant, intelligimus ſapientiam eſſe, & propter ſummã dignitatem plurimi æſtimandam, et propter incredibilem utilitatem omni ſtudio quærendam, & quia omnem vim naturæ ſuperat, nec in terris inueniri poteſt, eſſe è cœlo euocandam, & à bonorum omnium auctore Deo, aſſiduis præcibus, impetrandam. Quam ad rem cohortatur omnes D. Iacobus Apoſtolus, hiſce verbis. Si quis veſtrum indiget Sapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Duo fuerunt Iudæorum Reges, vnus belli gloria, alter pacis artibus perilluſtres, Dauid, & Salomon; vterq; Sapientiam à Deo, ſummis præcibus, poſtulauit, atque obtinuit. ille enim nihil cre-
Pſal. 118. *brius, in pſalmis, Deum orat, quàm vt ſibi intellectum tribuat, ſeruus tuus ſum ego; da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua. & in eodem pſalmo, da mihi intellectum, & viuam. & rurſum. iuxta eloquium tuum, da mihi intellectum. & in alio pſalmo, Deo*
Pſal. 15. *gratias agit, quod ſibi intellectum impertiuiſſet. Benedicam, inquit, Dominum, qui tribuit mihi intellectum. Salomon, verò, ita de ſe ipſo ſcribit. Vnus eſt omnibus introitus ad vitam, & ſi-*
Sap. 7. *milis exitus. Propter hoc optaui, & datus eſt mihi ſenſus, & in-*
3. Reg 3. *uocaui, & venit in me Spiritus Sapientiæ. Quibus autem verbis vſus ſit ad eam obtinendam, & in Regum hiſtoria, & in libro, qui*
Sap. 9. *inſcribitur Sapientia, ſcriptum eſt.*

Regia

Regia Sapientia in quo poſita ſit. Cap. V.

REGIS autem Sapientia duabus in rebus potiſſimum cernitur. quarum una eſt, ut regna, uictoriaſq; à Deo pendere intelligat: altera, ut ijs rebus regna conſeruari, uictoriaſq; obtineri ſibi perſuadeat, & in animo, præcordijſq; altiſſimè defigat, quæ res Deum uel nobis conciliant, uel à nobis alienant. Hæc autem non ex lutulentis humanarum doctrinarum riuulis, ſed ex liquidiſſimis diuinarum litterarum fontibus haurire, oportet. Scripſit Politica Ariſtoteles, ſcripſit Plutarchus, atq; alij. eorum præcepta qui ſequitur Philoſophus dici fortaſſe poteſt, ſapiens nullo modo. Quæ enim ſapientia eſſe poteſt ſine uero Deo, ſine uera Religione? Quapropter Regia Sapientia non ex Lyceo petenda, non ex Academia accerſenda eſt. unde ergo? ex ea profecto doctrina, quæ diuinitus inſpirata, ſacrarum litterarum monumentis continetur. Hæc eſt enim ueſtra ſapientia, ait Moſes, & intellectus coram populis, ut audientes uniuerſi præcepta hæc, dicant, en populus ſapiens, & intelligens gens magna. ex hoc fonte, Rebeccæ, ideſt ſapientiæ, manu, aquæ puriſſimæ hauriuntur, quibus non rex ſolùm, uerùm etiam cameli, hoc eſt ſubiectæ ipſis gentes, reficiuntur. Hiſce aquis Princeps Chriſtianus hortos ſuos irrigare, & ad incredibilem populorum tùm utilitatem, tùm uoluptatem fœcundare ſtudet. Vnde uirtutum omnis generis copia, omniumq; bonarum artium ubertas admirabilis exiſtit. Quod cum intelligeret Dauid, rex animi magnitudine, rerumq; fortiter geſtarum gloria excellens, totus in diuinæ legis ſtudio, & commentatione uerſabatur. quod quidem ex ipſiuſmet uerbis, luce clarius, intelligimus. Quomodo, inquit, dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt. Teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ. hæ erant lautiſſimæ ipſius epulæ. Quàm dulcia, inquit, faucibus meis eloquia tua? ſuper mel ori meo. dulciora ſuper mel, & fauum. hæ ipſius opes, & theſauri. Pſal. 118.

Di-

Dilexi, ait, mandata tua ſuper aurum, & topation. Super millia auri, & argenti, hac ſumma ipſius lætitia, & voluptas. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Quam vberes verò fructus inde perceperit, quantas altiſſimę ſapientiæ opes inde comparauit, ipſe docet, ſuper omnes, ait, docentes me intellexi. audi verò cauſam, Quia teſtimonia tua, inquit, meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quęſiui.

Regna, & victorias eſſe à Deo. Cap. VI.

NVNC *ad primum regiæ ſapientię caput explicandum accedamus. Nihil eſt in ſacris litteris clarius, quam imperia, victoriasq́ à Deo pendere. Iudæi enim nullos ferè Reges habuerunt niſi à Deo deſignatos, & per manus Propheta-*
1. Reg. 10. *rum ſuorum, ſacro oleo; inunctos, quā de cauſa Christi vocabantur. ita Samuel Saulem, & Dauidem inunxit. Sed ad Saulem inungendum, oleum de lenticula, quod eſt vaſculum ex argilla, fragile, & caducum: ad Dauidem vero, ex cornu, quod eſt materia ſolida, & firma, promit. qua quidem re (quemadmodum D. Hieronymus annotauit) ſignificatum eſt illius imperium infirmum, ac breue: huius ſtabile, ac perpetuum futurum.*

Ieroboam. Iehu.

E*odem modo inungitur Iehu, Eliſei Prophetæ iuſſu; paullò ſecus Ahias Silonites, Ieroboā decem tribuum Regem constituit. pallium .n. in duodecim partes conſcidit. ex ijs decem ipſum ſibi habere iuſſit: reliquas domui Dauidis reliquit. Quę iccirco Deus inſtituit, vt ex ijs, rerum futurarum, ſignis, homines intelligerent ipſum eſſe regnorum arbitrum, atq́ imperiorum auctorem. animosq́ ad pietatem appellerent, qua quidem vna cum Deus concilietur, eadem etiam regna fundantur, & conſeruantur.*

Clo-

Quod, ſi hactenus ignotum fuit, Germaniæ diſſenſiones, pluſquam ciuiles, Galliæ tumultus, Belgarum defectio, luce clarius, cum bonorum omnium luctu, & mærore, hoſtium uero riſu, & gaudio, reddiderunt. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS. Chriſtus, inquam, Ieſus non à Lutero fictus, non à Caluino inuentus, ſed ab Euangelij ſcriptoribus deſcriptus, & ab Apoſtolis quaſi demonſtratus.

Clodoueus. Galliæ Reges.

QVoniam olei ſacri mentionem intulimus, non eſt prætermittendum, confirmatum tum temporis auctoritate, tum gentium penè omnium conſenſu miraculum, quo, præ cæteris, Galliæ Reges nobilitantur. Clodoueus, qui, anno ſalutis 484, regnum inijt, vxorem duxit Clotildem, Gundebaldi Burgundionum Regis filiam, fœminam pietatis laude, gloriaq; præſtantem. Eius cohortationes, ac preces, quibus ad Chriſti ſacra ſuſcipienda excitabatur, audire diu diſtulit. Tandem cum in Germanos expeditionem pararet, vouit ſe, ſi hoſtem profligaſſet, victoriamq; obtinuiſſet, vxori morem eſſe geſturum. bello ex ſententia confecto, per Remigium Rhemorum Epiſcopum, ſacris aquis expiatur. eo tempore, miſſa è cœlo diuinitus ampulla, per columbam dicitur, vbi oleum, quo eſt, poſtea, Iudea Regum more, conſecratus continebatur. eodemq; chryſmate, omnes poſtea Galliæ Reges, magna ceremonia conſecrari conſueuerunt.

Nabuchodonoſor.

NAbuchodonoſore infinita penè regna cepiſſe, diuino munere, & dono, non ipſius viribus, & copijs, ipſemet Deus apud Ieremiam Prophetam, diſertiſſ. mis verbis, docet. ita .n. ſcriptum eſt. Hier. 7.

Hæc dicit dominus exercituum, Deus Iſrael. Ego feci terram, & homines, & iumenta, quæ ſunt ſuper faciem terræ in fortitudine magna, & in brachio meo extento, & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. & nunc itaq; ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor, Regis Babylonis, ſerui mei. Inſuper, & beſtias agri dedi ei, vt ſeruiant illi, & ſeruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius, & ipſius, & ſeruient ei gentes multæ, & reges magni. gens autem, & regnum quod non ſeruierit Nabuchodonoſor, Regi Babylonis, & quicunq; non curuauerit collum ſuum ſub iugo Regis Babylonis, in gladio, & in peſte, & in fame, viſitabo ſuper gentem illam, dicit Dominus, donec conſumam eos in manu eius.

Nabuchodonoſor. Balſaſar.

Dan. 5. EOdem ſpectant, quæ habemus, apud Danielem, de Nabuchodonoſoris, & Balſaſaris regno. hiſce enim verbis Propheta ille clariſsimus Balſaſarem alloquitur. *Deus altiſsimus regnum, & magnificentiam, gloriam, & honorem dedit Nabuchodonoſor, patri tuo, & propter magnificentiam, quam dederat ei, vniuerſi populi, & tribus, & linguæ tremebant, & metuebant eum: quos uolebat interficiebat, & quos volebat, percutiebat, & quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat. Quando autem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria eius ablata eſt, & à filijs hominum eiectus eſt, & cor eius cum beſtijs poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio eius: fænum, vt bos, comedebat, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec cognoſceret quod poteſtatem haberet altiſsimus in regno hominum, & quemcunq; voluerit ſuſcitabit ſuper illud. Hæc Daniel. hac ipſa de cauſa, ut in eodem capite ſcriptum eſt, idem Deus Balſaſarem regno ſpoliauit, & illud à Chaldæis tranſtulit ad Medos.*

Ferdinandus Aragonius.

HIc cum regnum, Gallorum armis oppreſſus, amiſiſſet, Neapoli ſoluens, & in vrbis munitiſsimæ mænia, atq; arces oculos in-

intendens, dicitur in ea Prophetæ verba prorupiſſe, quibus hoc regiæ ſapientiæ caput, de quo agimus, præclarè exprimitur. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtrà, vigilat, qui cuſtodit eam. non intellexerat ille hoc in proſperitatibus, ſecundiſque rebus: didicit in afflictis, atque euerſis.

Concluſio Superiorum.

QVæ cum ita ſint, præbete aures, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. In manu Dei poteſtas terræ, & execrabilis omnis iniquitas gentium, & vtilem rectorē ſuſcitabit in tempus, ſuper illam, in manu Dei poteſtas hominis. Non eſt poteſtas niſi à Deo. Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & ſubleuat; ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Domini enim ſunt cardines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Itaq; Dauid non ſolum regnum Deo acceptum refert, cum ait, conſtitues me in caput gentium; ſed etiam regni conſeruationem, cum de Deo loquens, inquit, Qui ſubdit populum meum ſub me. Ad vos ergo Reges, ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis. clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia; & facile videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab ijs, qui quærunt illam. Si ergo delectamini ſedibus, & ſceptris, ò Reges populi, diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis; diligite lumen ſapientiæ omnes, qui præeſtis populis. Intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. appræhendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.

Prou. 6. Eccl. 10. Rom. 13. P. Reg. 2. Sap. 6. Pſal. 2.

In Nicolaum Macchiauellum digreſsio. Cap. VII.

Q VONIAM ſupra demonſtratum eſt à Deo Opti. Max. bella, victoriasq́; pendere, minuenda hoc loco eſt Nicolai Macchiauelli opinio. is enim non ineptè minus, quam
Prou. 8. *falsè, aſſerere auſus eſt, Chriſti domini noſtri legẽ homines ad rem bellicam, militaremq́; virtutem ineptos efficere. Auocat, fateor, Chriſti doctrina homines ab iniuſtis bellis. docet enim quantum in*
Eccl. 10. *ſe ſcelus admittant, quantum facinus ſuſcipiant, qui vi æquitatem, armis leges, ſeditionibus Reip. ſtatum conuellere, & pertur-*
Prou. 13. *bare conantur. oſtendit eos, qui his ſceleribus ſe ſe obſtrinxerint, niſi peniteat, conſtituta, apud inferos ſupplicia effugere, nulla ra-*
1. Reg. 2. *tione, poſſe. ex quo fit vt mortis metum neceſſario incutiat. At uero ad bellum pro æquitate, pro religione, pro aris, & focis ſuſcipiendum, atq; inuicto animo gerendum: ad mortem, & audacter appetendam, & conſtanter ſubeundam, quæ tandem religio maiores ſtimulos, & aculeos profert, ea, quæ in iuſto bello morientibus cæleſtis vitæ gloriam immortalem propoſitam eſſe demonſtrat? aut quæ unquã gens vel vitam minoris eſtimauit, vel mortem cupidius ap-*
Sap. 3. *petÿt, vel acerbiſſimos dolores pacientius ſuſtinuit, vel crudeliſſimorum tyrannorum immanitatem animo excelſiore contempſit? Non ego huc milites e legione Thebea euocabo; non vtar teſtimonio Antonini Imp. clariſſimi, qui legionem, quam in bello Marcomanico habuit ex Chriſtianis militibus conflatam, fulmineam, propter inſignem virtutem, appellauit. Agnes, Priſca, Cæcilia, atque aliæ, ſi naturam ſpectes, fœminæ, ſi ætatem puellæ, ſi religionem Chri-*
Phil. 1. *ſtianæ, quæ neque blanditÿs emolliri, neque promiſſis flecti, neque minis frangi, neque morte vinci potuerunt, manifeſtè docent nullam eſſe religionem, ex qua maior animi vis, & robur exiſtat. Quid enim? puellæ Chriſtianæ Romani Imperÿ potentiam contempſerunt; neq; contempſerunt ſolum, ſed etiam vicerunt; & ab impietate, atq; idololatria ad veri Dei cultum, religionemq́; traduxe-*

runt

runt incredibilis cuiuſdā admiratione virtutis. & eſt neſcio quis, qui in Chriſtianis hominibus militarem virtutem deſideret, bellicam fortitudinem requirat? Certè animi robur tùm maximè perſpicitur, cum in magnis vitæ periculis, anguſtijsq́, verſamur. In eo caſu, quot, & quanta ſunt Chriſtiano militi aduerſus mortis terrorem adiumenta, aut quàm firma præſidia comparata? animæ immortalitas, Dei omnia ſua immenſitate complentis, præſentia, cæleſtis Hieroſolymæ fælicitas, vitæ beatæ æternitas. mille alia ad vitam ſumma cum alacritate profundendam, omnemq́ formidinem depellendā incitamenta. hiſce tanquā ſtimulis Chriſtianus miles incitatus præſentem vitam odit, futuram affectat. in tela, & in mortem ruit. nihil eſt quod eius ardorem extinguere, impetum retardare poſſit. viuere citius, quam pugnare deſiſtit. nouit enim ſe vitam non in ventum, ſed ad certiſſimam ſpem longè melioris vitæ effuſurum. creſcit in ipſo cum periculo animus, cum morte virtus. Redeat in mentem (ut cæteros taceam) Gotifredus, vir omni bellica laude cumulatus, & cum Alexandris, Cæſaribusq́ merito comparandus. Hic patrimonio, quod ampliſſimum habebat, diuendito, atque exercitu, religionis cauſa, comparato, Germania, Pannonia, Mæſia, Thraciaq́ decurſa, in Aſiam profectus eam paucioribus annis, quam Cæſar Galliam, quam Alexander eam ipſam Aſiam, ſub Imperium redegit. Innumerabiles Turcarum copias ad Nicæam Bithyniæ profligauit: infinitam Perſarum multitudinem, ad Antiochiam Syriæ, exiguiſſimis copijs, deleuit. Aegyptios, apud Hieroſolymam, fudit, atq; comminuit. gentes numero infinitas, belli gloria perilluſtres, rerum omnium copijs affluentes, prælijs fregit, virtute domuit, terrore concuſſit. omnem denique orbem terrarum nominis ſui fama impleuit. pietate vero tanta excelluit, ut, hac vna de cauſa, bellum illud tam graue, & tam periculoſum ſuſceperit, quo Sepulchrum Chriſti, Domini noſtri, quod cum ſummo Chriſtiani nominis dedecore, erat in Barbarorum poteſtate, nobis reſtitueret. Regnum vero, Principum ſuffragijs, conſequutus, regni quidem adminiſtrationem ſuſcepit, regis vero nomine omnino abſtinuit; indignum eſſe aſſerens, ibi quenquam regis nomine appellari, aut aurea corona inſigniri, vbi Chriſtus, Dei filius, rex per ſummam

con-

contumeliam, dictus eſt, & ſentibus aſperrimis confixus. Non poteſt vlla eſſe vera, ſine pietate, fortitudo, pietas autem, extra Eccleſiam Chriſtianam nulla eſt. Itaque mihi, omnem ſuperiorum ætatum memoriam repetenti, ſemper videtur gloria militaris cum religione fuiſſe coniuncta. Quomodo enim ſecus? cum Deus ipſe Chriſtianorum pacis, ac belli moderator ſit? ipſe confector bellorum, ipſe auctor victoriarum, ipſe inſtructor triumphorum, etiam ne Chriſtianos inertes, & ad arma tractanda ineptos aſſeremus? ſed, ut hac res tota planior fiat, paullo altius principium capiendum mihi eſſe duxi.

Deum omnem bellicam laudem ſibi velle tribui. Cap. VIII.

LAVDIS *porrò, gloriæq. militaris, Deus ita cupidus eſt, ut neminem ferè alium, eam ſibi arrogare patiatur, neminem ad eius partem admittat, ipſe miles, ipſe Imperator eſt; ipſe pugnat, & vincit. Quis enim alius Pharaonem Aegypti Regem, atque eius exercitum demerſit? Dominus quaſi vir pugnator; omnipotens nomen eius. currus Pharaonis, &* (Exod. 15.) *exercitum eius proiecit in mare. electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro. abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum, quaſi lapis. Quis Hierico, vrbem munitiſſimam ad tubarũ clangorem euertit? Quis 185. millia Aſſiriorum, in ipſorum caſtris, vna nocte contrucidauit? quis auſit huius tantæ gloriæ partem ſibi arrogare, aut fructum decerpere?* (4. Reg. 19.) *Quis Syros Samariam obſidentes, lucis vſura repente orbatos, primum illuſit, deinde miſſos fecit?* (4. Reg. 6.) *Quis eoſdem, vt caſtra rerum omnium copia referta, de repente, ſumma trepidatione, deſererent, induxit? certè Deus exercituum.* (4. Reg. 7.) *Siquidem Dominus ſonitum audire fecerat, in caſtris Syriæ curruum, & equorum, & exercitus plurimi. Vſque adeò cauet Deus ne hanc belli gloriam quiſquam ſibi alius vſurpet, ut cum Iudæos delere, propter intollerabilem ipſorum contumaciã, ſtatuiſſet, id facere diſtulerit; ne eius facinoris laudem Iudeorum ſibi hoſtes arrogarent; ita enim in Deuteronomio ſcriptum eſt. Dixi ceſ-*

ſare

ſari faciam ex hominibus memoriam eorum: ſed propter iram inimicorum diſtuli, ne fortè ſuperbirent hoſtes eorum. Nam cum rerum omnium gloria Deo tribuenda eſt, tùm præcipuè maximarum, nihil autem maius exercituum cade, urbium expugnationibus, regnorum euerſionibus.

Idem probatur altero argumento.

HOc ipſum, ex eo etiam loquendi modo, intelligitur, quo ſacræ litteræ vtuntur, cum bella enarrant, victoriasq́ deſcribũt. omnem enim præliorum proſperè geſtorum laudem, omnem bellorum confectorum gloriam, adſcribunt Deo. Cum Siſara exercitus fuſus eſt, & Imperator ipſe interfectus, Debora ita cecinit, Noua bella elegit Dominus, portas hoſtium ipſe ſubuertit. Saluatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit: de cœlo dimicatũ eſt contra eos. Cum Ionathas, Saulis filius, in Philiſtheos impetum fecit, eoſq; in fugam dedit, ita ſcriptum eſt. Tradidit eos Dominus in manus Iſrael. Saluauit Dominus in die illa Iſrael. Viuit Dominus Saluator Iſrael. Cum Ioab Abſalonem acie ſuperauit, hiſce verbis, Achimaas eam victoriam Regi nuntiauit. Benedictus Dominus Deus tuus, qui concluſit homines, qui leuauerunt manus ſuas contra Regem. Chuſi vero, alter nuntius, ita, iudicauit prò te Dominus hodie, de manu omnium, qui ſurrexerunt contra te. Dauid Rex in omni rei militaris parte excellens, omnem rerum proſperè geſtarum fructum, omnemq; gloriam Deo acceptam referebat. illi laudes, illi grates immortales agebat. Deus noſter, inquit, Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis. & alibi, Domini eſt ſalus. Nihil illi demum maiori curæ erat, quàm vt omnes, ipſo prædicante, intelligerent, Dei virtute in rebus gerendis nitendum eſſe, & ei geſtarum laudem eſſe tribuendam. quod quidem ex ipſius pſalmo 17. clariſſimè conſtat; quem quidem pſalmum Reges, atq́ Imperatores omnes memoriæ mandare, & in corde, atq; ore habere optabile eſt. Sed quò facilius Macchiauelli errorem omnes intelligant, placet demonſtrare Deum Opt. Max. quem vnum Chriſtiani colunt, omni Summi Ducis, omni accerrimi etiam militis officio fungi, vt hinc intelligatur Chriſtianos eius cultores non imbelles eſſe iudicandos.

Iudic. 5.

1. Reg. 14.

Pſal. 17.

Deum

Deum eſſe militarium conſultatio-num magiſtrum. Cap. IX.

*De re bellica, & de omni parte rei militaris conſulentibus
nemo unquam melius reſpondit. qui enim fieri poſſit?
Iud. 1. Nam cum poſt mortem Ioſuæ, filij Iſrael Deum de bello,
et de belli duce conſuluiſſent: itemq; vndecim tribus, quæ, contra
Iud. 20. tribum Beniamin, conſpirauerant, non eſt grauatus reſpondere.
3. Reg. 22. Achabo vero quærenti, deberet ne ad bellum proficiſci, eius expedi-
tionis exitum planè denuntiauit, per Michæam Prophetam. Sed
nemo Dei conſilijs familiarius uſus eſt, quam Dauid, ille Regum
1. Reg. 23. omnium clariſſimus. Nam, cum Philiſtæi Ceilam obſiderent, ille
Dominum conſuluit, deberetne contra Philiſtæos proficiſci, & in
eos impetum facere. rurſum, cum audiſſet Saulem ad Ceilam obſi-
dendam eſſe venturum, Dei conſilium, ſententiamq́; exquiſiuit, &
ſequutus eſt: neq; vnquam aliter accidit, quam ipſe conſuluit.
Quid enim eum falleret?*

Deum iniquorum Principum con ſilia diſsipare. Cap. X.

PRINCIPVM *iniuſtorum conſilia, diuino interdum nu-
2. Reg. 17. tu, diſsipari, ex Regum hiſtorijs liquet, vbi cum Achito-
phel Abſaloni optimè conſuluiſſet, vt in Dauidem itine-
re, atq; inedia fatigatum, continuo inuaderet, ille reiecto optimo ui
ri prudentiſsimi conſilio, Chuſai ſententiam prætulit, ſuadentis co-
gendas prius maiores eſſe copias; ex quo factum eſt, ut, mora in-
terpoſita, & Dauid ſe ſe colligeret, & rebellium furor ſenſim defer-
2. Reg. 17. ueſceret. Domini autem nutu, diſsipatum eſt conſilium Achito-
phel utile, vt induceret Dominus, ſuper Abſalon, malum. Quo
nomine, Dauid Dei Opt. Max. ſapientiam, poteſtatemq́; maximè
Pſal. 32. prædicat, atq; admiratur. Dominus ait, diſsipat conſilia gentium,
repro-*

reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia gentium. Conſilium autem Domini in æternum manet.

Deum belli difficultates tollere. Cap. XI.

NEMO alius nouit facilius, vel ſuos difficultatibus expedire, vel aduerſariorũ conatus eludere. Saul magnis copijs Dauidem perſequebatur. tãdem, cum eum in montẽ 1. Reg. 23. *quẽdam profugiſſe cognouiſſet, eo exercitum, improuiſo, adducit. locũ, omni ex parte, militum cuſtodijs, ſtationibuſq; circumuallat. Quid ageret Dauid, aut quò ſe ſe conuerteret, non habebat. exitus erant omnes impediti, effugia omnia obſeſſa: aut volandum ei erat, aut in hoſtes incidendum. Has difficultates, anguſtiaſq; humanis conſilijs inexplicabiles, viribuſq; inſuperabiles, patefecit, ſuſtulitq; ille Deus, cuius ſapientiæ nihil impeditum eſt, poteſtati nihil anguſtum. Nam cum ſaluti iam ſuæ Dauid deſperaret, viam Deus inuenit, atque oſtendit. Nuntius enim venit ad Saul, dicens, Feſtina, & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſthijm ſuper terram. Reuerſus eſt ergo Saul deſiſtens perſequi* 1. Reg. 23. *Dauid. Iam verò quantis ex anguſtijs Hieroſolymæ, ac Samariæ Reges liberauit? Cum enim hi in Idumeæ ſolitudines temerè eſſent ingreſſi, magna repente cœperunt aquæ penuria laborare, homines,* 4. Reg. 3. *iumentaq; æſtuare, ſiti conſici, parum ab exitio abeſſe. actum de Regibus, atq; exercitu fuiſſet, niſi, Dei nutu, magna aquarum vis, de repente, erupiſſet, atq; exuberaſſet.*

Gotifredus.

ANthiochia à noſtris, Heroicis illis temporibus (ita enim Hiſtorici ætatem illam auream vocant in qua Chriſtani Gotifredo Duce, ſacrum bellum ſuſceperunt, & confecerunt) expugnata, Perſarum exercitus, penè innumerabilis, intrà paucos dies, aduenit, qui victores arctiſſimè obſedit, & in extremum periculum adduxit. Acceſſit, ad hoſtium

uim, & ferocitatem; fames, & peſtilentia quibus ex rebus, tantus erat toti exercitui timor, ac terror incuſſus, vt vulgò milites abdita loca quærerent, in quæ ſeſe conijcerent: & hanc militum conſternationem magna ducum deſperatio conſecuta eſſet; niſi has rerum difficultates, momento temporis benignitas Dei ſoluiſſet, ſuosq; clientes ad certiſſimam uictoriæ ſpem excitaſſet. Nàm, cum ſe obtuliſſet in ſomnis viro cuidam, ſignificauit ei locum, vbi lancea, qua Chriſti Domini noſtri pectus transfixum fuerat, de foſſa latebat; iuſſitq;, vt ea prælata, in hoſtes impetum facerent, neq; de pugnæ euentu dubitarent; quod cum illi feciſſent, undecim hominum millia infinitas hoſtium copias profligarunt, caſtrisq; atq; impedimentis exuerunt.

Laurentius Brixius Luſitanus.

H*Ic, cum in Cananoris arce, quam Indi, ſumma ui & diligentia, vel potius contentione arctiſſimè obſidebant, extrema rerum omnium egeſtate, atq; adeò fame laboraret; resq; eo adducta eſſet vt ipſi vel deditio facienda, vel mors obeunda neceſſariò eſſet, diuina ei bonitas admirabiliter ſubuenit. maris enim æſtus, tẽpeſtatum impulſu, tantam ad littus, ubi arx ſita erat, marinarum locuſtarum uim, & Cancrorum eiecit vt ijs Luſitani famem tolerarint, donec Luſitana eò claſſis appulit.*

Deum ſtratagematum inuentorem eſſe. Cap. XII.

N*IHIL eſt, quòd belli ducem uel militibus ſuis cariorem, vel hoſtibus formidabiliorem reddat, prompta quadam, & celeri ad ſtratagemata excogitanda, ſolertia. Quis autem*

autem Deo, hoc in genere, admirabilior: Cum ipſemet Ioſuam doceret, quanam ratione Hai, vrbem maximam, & frequentiſsimam, expugnare poſſet, illud addidit, pone inſidias urbi poſt eam. quod cum ille feciſſet, & hinc quinque millia delectorum militum in inſidijs collocaſſet; inde ipſe, acie inſtructa, ad urbem ſuccederet, rex, nihil de inſidijs ſuſpicatus, cum exercitu ſuo, ex urbe, procedit. Ioſua, metus ſimulatione, eos quàm longiſsimè abducit: tum, repente, qui in inſidijs latebant, erumpunt, urbem inuadunt, nullo negotio capiunt, atq; inflammant. rex cum exercitu, in medio circumuentus, interficitur. Potuit ne aliquid aut elegantius excogitari, aut geri pulchrius? idem Iaheli author fuit, vt Siſaram maximi exercitus Imperatorem, tam pulchrè in inſidias induceret, inductum tam fortiter aggrederetur, & è medio tolleret. idem Gedeonem docuit, tubarũ clangore, & fictilium laganarum comploſione, tædarumq; ardentium fulgore, innumerabiles copias Madianitarum, ad mutuam cædem, concitatas, ſine ſuo uulnere, contrucidare, penitusq; delere. Quid, quòd non ſolum docet, ſed etiam ipſemet adhibet ſtratagemmata, quæ nemo alius poſsit adhibere? Cum Iudæi in Philiſthæos impetum feciſſent, intonuit Dominus, fragore magno, ſuper Philiſtæos, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filijs Iſrael. item Ionatha, in eodem pugnante, Deus ipſorum caſtra tumultu, & trepidatione compleuit, eosq; in mutuam cædem concitauit, & in fugam dedit. rurſum Syris Samariam obſidentibus, atq; oppidanis ad extremam famen, deſperationemq; compulſis illi repentinò caſtra, omni opulentia referta, deſerunt. Siquidẽ Dominus ſonitum audire fecerat, in caſtris ſyriæ, curruum, & equorum, & exercitus plurimi, dixeruntq; ad inuicem, Ecce conduxit aduerſum nos rex Iſrael Hætheorum, & Aegyptiorum Reges, & uenerunt ſuper nos. Eiuſdem Dei arte, Moabitæ rubeſcentium aquarum aſpectu deluſi, ad caſtra Hebreorum conuolarunt, & ab ijs repente diſsipati, contritiq; ſunt. Quid? infinitum Zazæ Aethiopum Regis exercitum, quis profligauit? Audiamus ipſa diuinorum litterarum uerba, exterruit Dominus Aethiopas coram Aſa, & Iuda, fugeruntq; Aethiopes.

1. Reg. 3.
1. Reg. 14.
4. Reg. 7.
4. Reg. 3.
2. Paral. 3.

Deum Ducibus, atq; exercitibus, ſibi caris, Angelos, quaſi antecurſores præmittere. Cap. XIII.

DEVM in bellis pro religione, iuſtitiaq; ſuſceptis, Angelos quaſi antecurſores præmittere, clariſsimè ipſiuſmet Dei verba teſtantur. *Ecce ego, inquit, mittam Angelum* Exo. 23. *meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui.* & non multo poſt. *Præcedet te Angelus meus, & introducet te ad Amorrheum, & Hetheum, & Pherezeum, Chananeumq; & Heucum, & Iebuſeum, quos ego conteram.* Quamquam illud hic animaduertendum eſt, pleroſq; grauiſsimos viros velle, eo in loco, Angeli nomine, verbum ipſum, Ioſ. 5. ideſt, Dei patris filium deſignari. vt in libro etiam Ioſuæ, vbi ita legitur. *Cum eſſet Ioſue in agro vrbis Hiericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladiū, perrexitq; ad eum, & ait, Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit, nequaquam, ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc* 4. Reg. 6. *venio.* ſpectat huc multitudo illa Angelorum, quam Iudæorum rebus afflictis, & ad extremum penè caſum adductis Deus præſidio miſit, & Eliſei famulo, ipſius Prophetæ rogata oſtendit. *Aperuit enim Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſei.*

Appendix.

HVC ſpectant, quæ de D. Ioanne, in priori Rhodi oppugnatione, à Turcis pugnare in ipſos viſo, & de D. Iacobo Apoſtolo, totties, in medijs certaminibus contra Saracenos ſuſceptis, agnito, conſtanti ſcriptorum teſtimonio commemorantur. Recentiſsimum, dictuq; pulcherrimum eſt, quod anno ſalutis 1572. accidit Goæ, quæ eſt Indiæ ciuitas clariſsima. Cum enim, poſt longiſsimam obſidionem, Luſitani, qui erant in præſidio, Hidalcanum Regem potentiſsimum, facta eruptione, magnaq; edita ſtrage

pro-

profligaſſent, & caſtris, atq; impedimentis exutum, pacem petere coegiſſent; complures ex hoſtili exercitu, in ciuitatem ingreßi, quærebant à noſtris, vbinã eſſet puella quædam, cuius virtute admirabili, mœnia defenſa, ciuitas ab interitu vindicata eſſet. Cum rei nouitate, atq; admirabilitate Luſitani milites magnoperè commouerentur, nec quid reſpondere poſſent, eis occurreret, Sacerdos quidam, è Societate IESV, homines illos in Templum duxit, eiſq; Deiparæ Virginis Imaginem oſtendit, qua illi viſa, ac recognita, ſummam ei belli confecti, & vrbis defenſæ gloriam tribuendam eſſe dixerunt. tùm humi ſtrati, eam ſuppliciter venerati ſunt, & ipſius laudes longè, latèq; prædicarunt.

Deũ belli duces fingere. C. XIIII.

FINGIT Deus, & tanquam è tenebris, excitat duces, quibus animi vim, & omnem bellicam virtutem mirabiliter inſpirat. nam, ut Iudicum hiſtoriæ docent, cum dura exterarum gentium ſeruitute oppreßi, Iudæi, grauißimis aduerſarum rerum turbinibus conflictarentur; neq; haberent, quò præter ipſum Deum, vitandarum calamitatum cauſa profugerent, ſuſcitauit Dominus iudices, qui eos, de teterrima immanium tyrannorum ſeruitute liberarent, Gedeonem ab area, Iephthen à latrocinio, ad ſuæ gentis principatum, euocauit. Saulem ab aſinorum cura, Dauidem ab ouium, pecorumq; cuſtodia ad Imperium, Regnumq; promouit. Erant autem hi, omni, quæ in Imperatorem cadit, virtute ornatißimi. Quis enim audacior Aodo? Felicior Gedeone, acrior Iephthe, fortior Sanſone? nam de Dauide melius eſt ſilere, quam, in eius laudes temere ingreſſum, in medio curſu deficere. In hoc vno omnis perfecti Imperatoris, omnis etiam militis virtus, Sole clarius, elucet. Iudæ Machabæi quanta fuerit in omni militari facinore præſtantia, quanta & in manu conſerenda fortitudo, & in conſilio capiendo prudentia, diuinarum litterarum monumenta teſtantur. Ita enim de eo ſcriptum eſt. Dilatauit gloriam populo ſuo, & induit ſe loricam ſicut Gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in prælijs, & protegebat caſtra gladio ſuo. Similis factus eſt Leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus Leonis rugiẽs in venatione, & perſequutus eſt iniquos perſcrutans eos,

1. Mach. 3.

& directa eſt ſalus in manu eius. hac ibi. Sed quid ego viros commemoro? mulieres diuinitus edocta, atq; armis cœleſtibus inſtructa exercitus maximos fuderunt, duces fortiſſimos occiderunt, Iael Siſaram, Iudith Holofernem.

Pius V. Ioannes Auſtrius. M. Antonius Columna.

Q*Vid Pio V. mirabilius? hunc, enim in D. Dominici familia à pueritia enutritum, atq; alieniſſimum ab omni rei bellica non ſolum exercitatione, verum etiam cognitione, Deus repente ſummum armorum magiſtrum, maximorum Regum Imperatorem, preſtantiſſimorum ducum quaſi Dictatorem finxit. nemo enim, vnquam, militarē Chriſtianorum virtutem vehementius excitauit, liberalius aluit, magnificentius ornauit. itaq; dum ille vixit, Catholici, & in Belgia, & in Gallia, ipſo hortatore, atq; adiutore, fortiſſimè, feliciſſimèq; dimicauerunt, & de perduellibus, Ludouico Borbonio interfecto, & Gulielmo Aurantio profligato, victorias, aterna prædicatione digniſſimas, retulerunt. Ioanni vero Auſtrio, ad Echinadas inſulas, roſtra contra Turcarum claſſem, vertenti, commutata extemplo tempeſtas, quæ ante aduerſa fuerat, à puppi flare, atq; aſpirare capit. quare, ille animo mirabiliter actus, victoriam, de Chriſtiani nominis hoſte, immortalem reportauit. Ac ne putares ſanctiſſ. Pont. ſcire tantum pugnare, ac vincere; norat etiam victoribus currus triumphales luculentiſſimè ornare, atq; apparare. Teſtis mihi M. Antonius Columna, qui, ipſo auctore, in vrbe Roma, veterem triumphandi morem, propter eximiam virtutem, in ea pugna oſtenſam, incredibili ſplendore, atq; apparatu, renouauit.*

Deum belli ducibus fauere. Cap. XV.

Q*VANTOPERE autem Deus belli ducibus, qui pro religione, atq; æquitate decertant, faueat, ex eo intelligi facilè poteſt, quod Ioſua contra Amorrheos præalianti, quo*
Ioſ. 10. *plena eſſet victoria, diem protraxit, Solemq; ſtare iuſſit. ſtetit Sol*

in

in medio cœli, & non feſtinauit occumbere, ſpatio vnius diei. non fuit ante, & poſtea tam longa dies, obediente domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael. Theodoſio uero ſeniori contra ferociſſimum hoſtem ventos, tempeſtatesq́; militare, & in hoſtium ora, atq; oculos inſultare iuſſit. idem Carolo V. Imperatori in bello ſaxonico hæſitanti, per hominem ignotum, uel Angelum potius, vadum, in Albi flumine, ad exercitum traijciendum, & perduelles perſequendos, oſtendit.

Alphonſus Congi rex.

IN eo bello, quod pro Chriſti nomine; Alphonſus, Congi rex, cum fratre ſuo geſſit, atq; exiguiſſimis copijs diuinitus profligauit; (ut eſt apud Hieronymum Oſorium) captus eſt, cum Alphonſi fratre, Dux quidam, quem ille ſibi, propter bellicæ uirtutis opinionem, adiunxerat. Is, cum ſe captum animaduerteret, miſit ad Regem qui diceret, ſe mortem minimè deprecari, quam ſe meruiſſe, non negabat. Hoc tantùm orare, ne ſe pateretur ad ſupplicium trudi, antequàm Chriſtianus fieret. Tantas enim copias à tam paucis hominibus nulla ratione uinci potuiſſe. ſed ſe magnam militum multitudinem, equis inſidentem, & crucibus inſignitam, tantaq; luce fulgentem, ut omnium oculos præſtringeret, in prælio, conſpexiſſe, cuius metu perculſus, atq; exterritus, fuga ſibi conſulere coactus ſit. Quare, ſibi nullam eſſe dubitationem, quin ſolius Chriſti numen, ſumma fide colendum ſit, & ſempiterna prædicatione, toto orbe, celebrandum. Ex quo intelligitur, religioſis Principibus adeſſe in rerum difficultatibus diuinum numen, eiſq; tum Angelos adiutores, tum ſe ducem prębere. ſed, ut ad Alphonſum redeam, non eſt hic prætereunda, ad noſtrorum regum exemplum, eius pictas ſingularis. Nam, ut primum regnum adeptus eſt, tanto ſtudio, religionem Chriſtianam coluit, ut non plus temporis in Rep. adminiſtranda, quam, in Chriſti fide propaganda, conſumeret. Habebat præterea frequentes, ad populum conciones de iuſtitia, & pietate, de iudicij diuini ſeueritate, de cœleſtis uitæ præmijs, de Chriſti diſciplina, & ſanctiſſimorum uirorum exemplis. His ille artibus regnum adeptus eſt, & fundauit, atq; conſtituit.

Deum omni boni Imperatoris offitio fungi. Cap. XVI.

QVID, quod ipſemet præit, ipſe exercitum ducit, ipſe itineris faciendi tempus ſignificat, ipſe caſtrametatur? Quæ quidem, atq; alia, optimi ducis, offitia, Moſes, dum ad po-
Deut. 1. *pulum verba facit, diſertiſſimè demonſtrat. Præceſſit uos, inquit, Deus, in via & metatus eſt locum, ubi tentoria figeretis, nocte oſtendens uobis iter, per ignem, & die per columnam nu-*
Deut. 31. *bis, & in eodem loco, Nolite metuere: nec timeatis eos; Dominus Deus, qui ductor eſt ueſter, pro uobis, ipſe pugnabit, ſicut fecit in Aegypto. & alibi uiriliter agite, & confortamini, nolite timere; nec paueatis ad conſpectum eorum, quia Dominus Deus tuus, ipſe eſt ductor tuus: nec dimittet; aut derelinquet te. & Debora, ita,*
Iud. 5. *adhortatur Baracum. Surge, hæc enim eſt dies, in qua, tradidit Dominus Siſaram in manus tuas. en ipſe ductor eſt tuus. & Da-*
Pſal. 36. *uid, Deum, Hebræos, ex Aegypto eduxiſſe, & per Arabiæ ſolitudines, deduxiſſe, eumq; ipſorum ducem ſolum fuiſſe, pulcherrimè docet. Quid, quod eos non ſolum tanquam Imperator, duxit, ſed*
Deut. 1. *etiam, tãquam nutritius, portauit? audiamus Moſen. Portauit te Dominus Deus tuus, ſicut ſolet homo portare paruulum filium ſuum, in omni via, per quam ambulaſtis, donec veniretis ad locum iſtum.*

Deum omnibus modis pugnare. Cap. XVII.

NEQVE verò ſolum optimum ducem ſeſe præbet, verum
1. Reg. 7. *pugnaciſſimum militem. omnibus enim modis pugnat.*
14. 2. par. 14. Exod. 23. *pugnat interdum occulto quodam terrore: hoc, in fugam egit Philiſthæos, Syros, Aethiopes. & in Exodo, terrorem, in-*
Ioſ. 10. *quit, meum mittam in præcurſum tuum. pugnat ſaxis. nam, cum Iudæi, Ioſua duce, exercitum Amorrhæorum acerrimè perſequerentur,*

rentur, & hi, fuga, ſibi ſalutem quærerent, Dominus miſit ſuper eos lapides grandes, de cœlo, vſq; ad Azeca, & mortui ſunt multò plures, lapidibus grandinis, quàm quos, gladio, percuſſerant filij Iſrael. adhibet nonnunquam crabrones. ijs enim Heueos, & Hethæos ſuis ex ſedibus exterminauit, ante, quam eò Iudæos induceret. pugnat leonibus, ijs enim vſus eſt ad Samaritanorum impietatem reprimendam. pugnat fulminum iactu, & tonitruis. Tonabit de cœlo Dominus, & excelſus dabit vocem ſuam. miſit ſagittas, & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. Vtitur aliquando armis inaſpectabilibus. ijs enim exercitum Sennacheribi confecit. ijſdem copias Zaræ deleuit. Ruerunt Aethiopes ad internecionem, quia Domino cædente contriti ſunt, & exercitu illius prœliante. Deut. 7. Ioſ. 24. 2. Reg. 22. Pſal. 56. Pſal. 143. 2. Par. 32. 2. par. 14.

Deum eſſe magiſtrum armorum. Cap. XVIII.

QVID, quòd eſt magiſter armorum? doceat id Dauid, qui non alium rei militaris Doctorem ſe ſe habuiſſe teſtatur. Deus, qui accinxit me fortitudine, & complanauit perfectam viam meam. Coæquans pedes meos ceruis, & ſuper excelſa ſtatuens me. docens manus meas ad prælium, & componens quaſi arcum æreum brachia mea. & alibi. accinxiſti me fortitudine ad prælium; incuruaſti reſiſtentes mihi ſub me. & alibi. Benedictus Dominus, qui docet manus ad prælium, & digitos meos ad bellum. 2. Reg. 22. Pſal. 143

Epilogus ſuperiorum. Cap. XIX.

EX ijs liquidò intelligitur, Deum victoriarum auctorem eſſe, & ab ipſo ſperandum eſſe omnem proſperum belli euentum. quod quidem, magno ſuo malo, plerique didicerunt. in ijs Benadadus, & Syri. cum enim ij Samariam, infinita hominum multitudine circumfuſa, obſiderent, & ad extremum pene caſum deduxiſſent, unus è numero Prophetarum, ita eſt Achabum Regem alloquutus. Hæc dicit Dominus. Quia dixerunt Syri, Deus montium eſt Dominus, & non eſt Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem, in manu tua, & ſcietis, quia ego ſum Dominus. & alibi. Certè vidiſti multitudinem hanc nimiam. Ecce ego trado eam in manū tuam hodie: ut ſcias, quoniam ego ſum dominus. & Dauid, hunc ob finem, uictoriam à Deo ſperat, & præſumit de Goliath, ut ſciat, inquit, omnis terra, quia eſt Deus in Iſrael, & nouerit vniuerſa Eccleſia hæc, quia non in gladio, nec in haſta ſaluat Dominus. ipſius enim eſt bellum. Et Ezechias, hoc nomine potiſſimum, Deum aduerſus Sennacheribbum concitare conatur. Nunc igitur Domine Deus noſter, ſaluos nos fac de manu eius, ut ſciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus ſolus.

1. Reg. 17.

4. Reg. 19.

IOAN-

IOANNIS BOTERI BENENSIS DE REGIA SAPIENTIA.

LIBER SECVNDVS.

HActenus, expoſui primum regiæ ſapientiæ caput, quod quidem, in eo, ſitum eſt, vt Princeps intelligat regna, atq; victorias à Deo pendere. Hoc cum non intelligeret Nabuchdonoſor, Deus eum ad inſaniam redactum, ita ſeptem totos annos, propter ſuperbiam, atq; animi elationem infinitam, abiecit, vt per Syluas errabundus, ferarum more, vagaretur, fæno victitaret, nullam certam ſedem haberet: vt ſciret, quòd dominetur excelſus, ſuper regnum hominum, & cuicumq; uoluerit, det illud. Vbi, res eſt ſanè digna conſideratu, Deum ad inſaniam Regem illumpotentiſſimum redegiſſe, eum ut corrigeret, & ad officium, mentisq; ſanitatem reduceret; & ad ſtultitiam, eum impuliſſe, ut ſapientiæ capax eſſet; & beſtijs ſimilem effeciſſe, ut humanitatem condiſceret, ſeq; hominem, non Deum, eſſe fateretur. Diſcant uerò Reges res omnes, maximè autem Regna, Dei nutu conſtitui, atq; euerti, Dei arbitrio corruere, & ſtare, minui & augeri, rectèq; neſciò quem Poetarum dixiſſe, eumcuncta ſupercilio mouere. Nunc alterum caput nobis explicandum eſt, nimirum Regna ijs rebus amplificari. & conſeruari, quibus nobis Deus conciliatur. earum autem rerum prima nobis occurrit Religio.

Religio. Cap. I.

Melchiſedech.

RELIGIO *eſt omnis Principatus fundamentum. nam cum omnis poteſtas ſit à Deo, Deum verò nobis Religione conciliemus, neceſſe eſt Principatum omnem religionis præſidio indigere. qua de cauſa, antiquiſſimis illis temporibus, homines ſapientia præſtantes, cum intelligerent, quàm neceſſaria Principibus ſit Religio, Regno Pontificatum adiungebant, Regiæ Maieſtati, curam rerum diuinarum. Quod de Melchiſedech diuinarum literarum monumenta teſtantur: iis enim proditum eſt, eum, & Regem fuiſſe, & Sacerdotem. At Melchiſedech, Rex Sa-*
Gen. 14. *lem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit, & ait: Benedictus Abraam Deo excelſo, qui fecit cælum, & terram.*

Machabæi.

IN *Machabæis etiam creditur Regiā poteſtatē cum Pontificatus ſanctitate fuiſſe coniunctā. iidem enim erant Principes, & Sacerdotes, iidem ſacris præerant, & Remp. adminiſtrabant, ex quo fiebat, vt, eorum res, domi, foriſq; opibus, honoribus, exiſtimatione, florentiſſimæ eſſent. Religio enim maximum eſt, & pacis ornamentum, & belli præſidium.*

Moyſes.

Q*Vàm neceſſarium Regi ſit præſidium Religionis, nulla re*
Exo. 17. *elegantius deſcribi, demonſtrariq;, & ſub oculos poni poteſt, quàm Moyſis, & Ioſuæ exemplo. Nam in eo bello, quod cum Amalechitis geſtum eſt, dum Moyſes ſupplices ad cælum manus tendebat, Ioſua hoſtes armis ſuperabat; ſin ille manus paululum remiſiſſet; hic hoſtium vim, & impetum non ferebat. qua quidem re demonſtratum eſt, plus conferre ad victoriam obti-*

nendam

nendam Moyſem; quàm Ioſuã, Sacerdotem, quàm Ducem, preces ad Deum fuſas, quàm gladios in hoſtem diſtrictos, religionem denique, quàm vim. Sacræ ſcripturæ verba ſunt hæc. Cùm leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. manus autem Moyſis erant graues, ſumentes igitur lapidem poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit. Aaron autem, & Hur ſuſtentabant manus eius, vt non laſſarentur, vſq; ad occaſum ſolis. Fuditq; Ioſue Amalech, & populum eius in ore gladij.

Heli; & eius poſteri.

SED *ipſiuſmet Dei verba audiamus. Quicunque, ait, honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. hac de cauſa, vt, in eo ipſo capite, legimus, Deus Heli poſteritatem ab altaribus ſuis remouit, omnibuſq; Sacerdotij ornamentis ſpoliauit. Quod quidem tunc accidit, cum Salomon Sadochum Sacerdotem, pro Abiatare, eò quòd hic (qui ex Heli ſtirpe erat) Adoniæ, nouis rebus ſtudenti, regnumq; occupare conanti, fauiſſet, ampliſſimo Sacerdotio præeſſe iuſſit. vt hinc omnes intelligant, eos in omnium contemptionem venturos, qui diuinum numen contempſerint, fore autem in ſummo honore apud omnes, qui honorem Deo habuerint, eiuſq; maieſtatem ſanctè, religioſèq; coluerint.* 1. Reg. 2.

Britanniæ Reges.

Iuo. Edeluulphus. Cunto. Ioannes.

BRitanniæ *regnum, multis ſeculis, pacis, & belli gloria floruit; finitimiſq; prouincijs terra, mariq; imperauit. cuius quidem rei, cum multæ cauſæ fuerunt, tùm ea fortaſſe maxima, quòd in Catholicam religionem, cuius magiſtra, atq; interpres eſt Sedes Apoſtolica, Romana, Summum antiquorum Regum ſtudium fuit: nam Iuo, qui Romæ obijt anno ſalutis 727. ſingulas Anglorum familias ſingulos denarios D. Petro penſitare iuſſit; idq; vectigal Edeluulphus Leonis IIII. tẽpore Romã ipſe portauit. idẽ Edeluulphus*

deci-

decimas omnium frugum Sanctiſsimæ Virgini & D. Petro addixit. Cuncto Romã, anno ſalutis milleſimo profectus, magna ſecum dona ad Principem Apoſtolorum tulit. Ioannes Ricardi filius Britanniam, atq; Hiberniam Eccleſiæ Romanæ, ex 70. auri libris, vectigales fecit.

Hiſpaniarum Reges. Pelagius. Alphonſus II. Alphonſus III. Alphonſus VIII. Ferdinandus III. Ferdinandus Catholicus Cap. III.

HISPANORVM *imperium tantum eſt, quantum nullum vnquam (quòd ego quidem ſciam) fuit. dominantur Oceano Atlantico, imperant ampliſsimis, & copioſiſsimis Europæ Prouincijs; habent in Africa arces munitiſsimas, portus quanuis magnarum claſsium capaces. poſsident, ad occidentem ſolem, regiones multitudine penè innumerabiles, latitudine immenſas, opibus inexhauſtas. Nunc vero, Luſitaniæ acceſsione, Catholicorum regum imperium ijsdem, quibus orbis terrarum finibus continetur. ad ipſorum enim ditionem acceſſerunt Mauritaniæ, Aethiopiæ, Arabiæ, Perſiæq; littora, & portus, Carmaniæ, atq; Indiæ, quæ Alexandri magni nomen illuſtrauit, ora, aurea Cherſoneſus, inſulæ innumerabiles, incredibili aromatum copia, refertæ. tantum denique maris poſsident, quantum ornatiſsimis claſsibus nauigare, tantum terrarum, quantum eximijs exercitibus percurrere potuerunt. Fauet Deus Hiſpanorum religioni: fauet Regum optimorum pietati. nulla enim regio Reges habuit, religionis incorruptæ laude, clariores. Pelagius viam ad cæleſtem gloriam ſibi Illuſtri uitæ Sanctitate muniuit. Alphonſus II. Caſtus propter eximiæ Sanctimoniæ famam*

dictus

dictus eſt, Alphonſus VIII. boni nomen adeptus eſt. Huic cum ſaracenis prælianti, crux, miro fulgore illuſtris, è cælo affulſit, qua ille, uelut alter Conſtantinus, duce, hoſtes ingenti prælio ſuperauit & ex eis cc. millia interfecit. Ferdinandus III. hoſtes Hiſpali, Cordubaq́; eiecit, & in Baticæ anguſtias compulit. religione verò fuit, quanta, ad tot, & tam grauia bella conficienda, & tam glorioſas victorias obtinendas, opus erat. Hic, cum Principes Hiſpaniæ, ſtatuam ei, propter rerum fortiter geſtarum magnitudinem, decreuiſſent, eam ſtatui propter ſummam animi moderationem uetuit, Non enim ſibi Reip. bene fæliciterq́; geſtæ laudem adſcribi volebat, ſed Deo. Quid, de Ferdinando Catholico dicam? hic, iacto religionis egregiæ fundamento, plurima, & maxima bella & fortiſſimè geſſit, & felicisſimè confecit. Mauros tota Hiſpania penitus exterminauit, Africæ oram inuaſit: munitiſſimas vrbes, maximosq́; portus cæpit. Cantabriæ regnum ſuum iure, atq; armis fecit. regnum Neapolitanum in prouinciæ formam redegit. nouum orbem, Chriſtophoro Columbo duce, nobis aperuit, eumq; non tam ſibi, quam Deo, Euangelij prædicatione, ſubiecit. in hac tanta rerum clarisſimè geſtarum gloria, nihil illi charius, nihil optabilius, honorificentiſſimo illo, & glorioſiſſimo Regis Catholici cognomine, quo Pontifices maximi ſingularem Regis ſapientiſſimi religionem commendarunt hominum memoriæ ſempiternæ.

CAROLVS V. PHILIPVS CAROLI FILIVS, Auſtriæ Principes.

CAroloV. Imperatori ſingulare antiquæ pietatis, atq; orthodoxæ fidei ſtudium ampliſſimarum victoriarum materiam, ſempiternæ gloriæ ſegetem ſuppeditauit, quod cum ſemper, tum, in bello Germanico, maximè enituit, religionis enim, cuius reſtituendæ deſiderio incredibiliter ardebat, preſidio fretus, ferociſſimos duces, maximos exercitus, potentiſſimas gentes, cum incredibili diuini numinis, cui militabat, gloria. exiguis copijs, ijsq;, hyemis aſperrimæ incommodis, atq; omnium rerum inopia, uehementer attenuatis, fregit, atq; proſtrauit. Ioanne vero Fedrico,

co, ſummâ celeritate, debellato, & capto, diuini numinis præſentiam agnoſcens in hæc digna immortalitate verba prorupit; ſe non poſſe dicere, quòd olim Cæſarem dixiſſe ferunt, veni, vidi, vici; ſed veni, vidi, & Dominus Deus vicit. At Philippum eius filium regum omnium potentiſſimum, atq; ampliſſimum eſſe, neminem puto negaturum; non minus religioſum eſſe facilè oſtenderem, ſi hoc ab adulationis ſuſpicione tam abeſſet, quam cum veritate coniunctum eſt. illud tamen aſſeuerare non verear, Auſtriæ Principum familiam omnes totius orbis familias, vt potentia, atq; opum amplitudine, ita pietatis, & fidei Catholicæ amplificandæ ſtudio, longè antecedere. At verò potentiam religio peperit, non potentia religionem. Quòd cum illi præclarè intelligant, in ea cogitatione, curaq; toti verſantur, vt quam acceperunt à maioribus ſuis religionis, & ſanctitatis gloriam, quaſi copioſiſſimum atq; opulentiſſimum patrimonium, diligentiſſimè conſeruent, ac tueantur.

Rodulphus Imperator.

QVoniam proximè aſſerui Auſtriæ Principum potentiam, atq; amplitudinem ex religione ortam eſſe, lubet, hoc in loco, Rodulphi, qui ex Comite Abſpurgi Imperator, Alphonſo, Hyſpaniæ Rege, competitore reiecto, dictus eſt, & primus Auſtriam domum Imperij Maieſtate nobilitauit, factum immortalitate dignum, referre. Scribit Cardinalis Oſius, vir, & pietatis, & doctrinæ laude inſignis, Rodulphum dum maximo imbri venaretur, in Sacerdotem incidiſſe, qui, per ea loca, ſolus iter faciebat. Tùm quæſiuiſſe ab eo Rodulphum quorſum tenderet, & quæ cauſa viæ tam importunæ eſſet: reſpondit ille, ſe Sacroſanctam Euchariſtiam ad hominem moribundum, pro viatico, deferre. Deſilit repente ex equo Rodulphus, & IESVM CHRISTVM, in Sacramento latentem, veneratus, penulam, qua ipſe, ad imbrem arcendum, tegebatur, Sacerdotis humeris impoſuit. Quàm ob humanitatem, religionemq;, cum ei grates immortales Sacerdos egiſſet, Deum etiam precatus eſt, vt referret; atq; honorem eius maieſtati habitum, remuneraret. Quid multa? anno vertente Rodulphus Imperator declaratur.

Ioannes Hunniades.

HIC Mathiæ Coruini pater fuit, atq; omni militari laude excelluit. nemo Turcis maiori terrori fuit; nemo eos grauius afflixit, atq; proſtrauit. Amurathen, eorum Regem, Albam Græcam, totius pene Europæ propugnaculum, maximo circunfuſo exercitu, acerrimè oppugnantem, non ſolùm fortiter inde repulit; ſed etiam in turpiſſimam fugam, graui vulnere affectum, coniecit. Hæc porro tanta animi virtus, ſumma religione nitebatur. Cuius quidem illud maxime illuſtre documentum eſt, quòd, cum, inſtante morte, Sacroſancta Euchariſtia ſeſe præmunire vellet, eam ad ſe domum afferri vetuit. Aequius eſſe aſſerens, famulum ad Dominum ſuum, quàm Dominum ad famulum ire. itaq; ſe in templum deferri iuſſit.

Allobrogum Duces.

ALlobrogum, & Taurinorum Principes, in nobiliſſimarum, atq. optimarum regionum poſſeſsione, pietatis potius quàm armorum præſidio, tam ſupra DC. annos, permanſerunt. Non enim facile reperias gentem, in qua extent plura, & maiora exempla ſanctitatis. Templa ad Dei Opt. Max. cultum, cænobia ad religioſorum hominum commoditatem multa, & magna extruxerunt, locupletarunt, exornarunt. præcipuè Vmberius Primus, & III. Amadeus II. III. VIII. itemq; Aymo. bella ea potiſsimum geſſerunt, quæ pro religione ſuſcepta ſunt, & geſta; Vmbertus II. ad bellum Hieroſolimitanum, cum Hugone Magno, profectus; itemq; Amadeus II. cum Ludouico Galliæ Rege, ornatiſsimas ſecum copias duxerunt. Thomas, Vmberti III. filius, Conſtantinopolitanæ expeditioni, magna cum auctoritate, gloriaq; interfuit. in Albigeos Hæreticos arma ſumpſit, & ad victoriam conſequendam, magno momento, fuit. Amadeum Quintum Gregorius XI. iurium Sedis Apoſtolicæ conſeruatorem appellauit. idem Ioanni, Orientis Imperatori, vt ad

Eccleſiæ Romanæ auctoritatem rediret, auctor, atq; impulſor fuit. Amadeus V I I. propter rerum diuinarum ſtudium, principatu ſe abdicauit, propter famam ſanctitatis, dignus habitus eſt, qui Pontifex Max. crearetur: propter commune bonum, Pontificatum depoſuit. Ludouicus, eius filius, Syndonem, Chriſti corpore impreſſam, cruore coloratam, in magni Theſauri loco, habuit. Amadeus V I I I. in Diuorum numerum, propter eximiæ ſanctitatis opinionem, relatus eſt. Emanuel Philibertus, regno recuperato, nihil prius habuit, quam Hæreticos exultantes reprimere, & in Allobrogibus, Taurinisq; Catholicam religionem, omni ope, atq; opera, reſtituere. nam de Carolo Emanuele, eius filio dicere ſuperuacaneum eſt, cum ille habeat pietatis ſuæ incomparabiles teſtes, & prædicatores, Carolum Cardinalem Bonromæum, & Gabrielem Cardinalem Palcottum.

Bauariæ Duces.

IN Germania, Bauariæ Duces eximiè florere, & in magna, apud omnes, eſſe exiſtimatione, quis neget? atqui nemo, ex Germaniæ Principibus, Catholicæ religionis amantior, veræ pietatis ſtudioſior. Gulielmus (ne ſuperiora commemorem) Alberti pater, cum reliqui rerum, atq; opinionem, quos homines, impietate, ſtultitiaq; inſignes, inuexerant, nouitate ducerentur, & à Ieſu Chriſti doctrina, maiorumq; inſtitutis diſceſſiſſent, ille omnem contentionem, curamq; adhibuit, eam vt peſtem nefariam animorum, auerteret, & quam longiſſimè poſſet, arceret. Albertus filius eam, callidè, atq; occultè ſeſe inſinuantem, ſeueriſſimis legibus, edictiſq; coercuit, atq; eò, vnde venerat, reluctantem, & inuitam reuerti coegit. Neque verò quicquam, ab hac tanta laude, gloriaq. declinat huius filius, Vilelmus, cuius egregiam pietatem admirari facilius eſt, quam pro dignitate prædicare. Quid de Herneſto, & Ferdinando, eius fratribus, dicam? non enim ſuas, hoc in genere, partes deſiderari patiuntur. Herneſtus, cum, proximis annis, Eccleſiam Leodienſem præclarè adminiſtraſſet, & à vicinarum gentium tumultibus, atq; incurſionibus tutam, & incolumem, ab Hæreticorum prauitate integram, ſinceramq; ſeruaſſet;

nouiſſimè Archiepiſcopatum Colonienſem, aduerſario propter apoſtaſiam, monſtruoſamq; libidinem, deiecto, ſumma bonorum omnium conſenſione, & lætitia, ſumma expectatione, & ſpe, obtinuit. Ferdinandus verò id muneris ſibi propriè, priuatimq; ſuſcepit, vt impiarum opinionum auctores, ſectatoreſq; inquirat, videatque, ne quid detrimenti Reſp. capiat. Ita tres optimi fratres in quibus dubites, generis nobilitas, an virtus, potentia, an modeſtia maior ſit, in diuinæ gloriæ amplificatione concordes, Germaniæ Principibus exemplo ſunt ad antiquam religionem retinendam, aut reuocandam: ſuis verò populis præſidio, atq; ornamento.

Batorum familia.
Stephanus Poloniæ Rex.

IN ea parte Daciæ, quam Tranſyluaniam nunc appellant, ſola penè, Batorum familia, reliquis corruptis, & nefariarum opinionum peſte infectis, in antiqua religione, permanſit. Qua de cauſa, cæteris etiam facilè antecellit dignitate, exiſtimatione, potentia. Atq;, vt cætera omittam, quæ in hanc ſententiam verè, copioſeq; dici poſſent; Stephanus, huius gentis facilè Princeps, primùm quidem Daciæ principatum, omnium conſenſu obtinuit: deinde Poloniæ regnum, maximum, atq; nobiliſſimum, potentiſſimis competitoribus victis, adeptus eſt. Neque ſolùm adeptus eſt, ſed ita hactenus adminiſtrauit, vt, iacto religionis Catholicæ fundamento, nullam in eo, regiarum virtutum partem deſiderare poſſis; militarem vero virtutem, iure optimo, admiratione dignam cenſeas. Nam ferociſſimum Moſcorum Ducem bello aggreſſus, memorabiles inde victorias reportauit. eius enim copijs, ad Cheſſium fuſis, Poloſchum, oppidum natura, atq; arte mirificè munitum, expugnauit. tum ad Sochollum, eius gentis nobilitate proſtrata, omnia, armorum terrore, quatefecit. In ipſam Moſcouiam ingreſſus, Vilchiluchiam, vrbem inſignem, ſitu, atq; opere penè inexpugnabilem, ſub ſuam ditionem, atq; imperium redegit. neq; verò hic hærendum ſibi exiſtimauit, ſed hoſtium regionem, longè, lateq; peruagatus, Pleſcouiam, vrbem maximam, atq; opulentiſſimam, obſidione cinxit, & in ſummas anguſtias adduxit. Mo-

ſcorum tandem rebus afflictis, & in manifeſtum ſalutis, ac dignitatis periculum redactis, ipſorum Dux, de compoſitione agere cœpit. Quæ quidem, ijs conditionibus facta tandem eſt, vt Moſcus Liuonia, prouintia nobiliſsima, excederet; Polonus Pleſcouiæ obſidione deſiſteret. ita ille, recuperata vberrima, clariſsimaq; prouintia, magnam apud ſuos auctoritatem, apud omnes exiſtimationem ſibi comparauit. Regibus porrò inſigni documento eſt, nullam eſſe viam ad laudem, gloriamq; adipiſcendam, regna conſequenda, tuenda, augenda, bella feliciter ſuſcipienda, gerenda, conficienda, illuſtriorem, ſtudio Catholicæ religionis, cuius doctor eſt, atq; interpres Romanus Pontifex. Neque verò Rex optimus Liuoniam ſolum recuperauit; ſed in eam etiam curam toto pectore incumbit, vt, ad orthodoxam fidem eam reuocet, Deoq; ſubijciat, quam ob cauſam, Epiſcopatus conſtituit, Collegia, & Seminaria ad alendam, rectèq; inſtituendam iuuentutem erigit, bonos Sacerdotes, & ſana doctrina concionatores vndique accerſit. omnem poſtremò lapidem mouet ad hæreſum, atq; impietatis Zizania extirpanda, & ad Catholicam religionem ſerendam, ac propagandam.

Guiſiæ Duces.

NON *videntur, vllo modo, prætermittendi Guiſiæ Duces. Hi enim tantum cæteros Galliæ Principes dignitate, gratia, potentia antecedunt, quantum ſtudio Catholicæ religionis. Franciſcus Claudij filius, impietatis Duces, tota Gallia volitantes, & Catholicorũ ceruicibus imminentes, repreſsit. Rhotomago, atq; alijs maximis vrbibus eiecit; à Pariſiorum mœnibus auertit, eoſque perſequutus, apud Druidas, ingenti prelio, ſuperauit. Tùm, qui euaſerant, intra Aureliæ muros compulit, breui eos in poteſtatem redacturus, niſi illi, cuius manus ſe effugere poſſe deſperabant, eum per ſummam fraudem, ac ſcelus interfeciſſent. In eadem cauſa glo-*

glorioſiſsimam mortem, atque æterna memoria conſecrandam, tres eius fratres, partim ferro, partim veneno confecti obierunt. Vt autem illi armis rem fortiſsimè gerebant, ita Lotharingius, Guiſiuſque Cardinales conſilio, & prudentia pro Eccleſia, & pro omnium ſalute excubabant, & in eam curam totis animi, corporiſque viribus incumbebant, vt Rempub. afflictam, ac penè perditam eriperent, ac ſubleuarent, & religionem hominum ſceleratorum improbitate, mirum in modum, deformatam, in priſtinam dignitatem reſtituerent. Henricus vt, præ ceteris Franciſci filijs, maximum natu potiſsimum appellem, excellentem parentis virtutem imitatus, religionis hoſtes armis vbique perſequutus eſt. Nam in Germaniam primum profectus, bello, in quo Solimanus Seghetum nobis ademit, interfuit. Tum in Galliam reuerſus, nihil ſine ſe geri, nihil tentari paſſus eſt. omnibus bellis, omnibus etiam prelijs interfuit. Ita rem vbique geſsit, vt neque boni Ducis in ſe prudentiam, neque militis virtutem vnquam deſiderari paſſus ſit. Tanta verò modeſtia, tanta diuinæ gloriæ cura, vt, cum, Pictauorum vrbe à Gaſparis Collinei, cæterorumque perduellium impetu, ſingulari virtute, ab eo defenſa, qui tum ibi, inter ſacra concionabatur, multa de eius laudibus dicere ſtatuiſſet, ipſe vetuerit, quòd diceret totam eam victoriam fuiſſe opus diuinæ bonitatis. ei honorem eſſe habendum, gloriamque tribuendam. Non minor eſt Caroli fratris conſtantia, ac virtus in cauſa religionis. nam adoleſcens penè ad bellum Turcicum, cum nobiliſsimorum iuuenum lectiſsima manu, profectus, magnum, ſub mœnibus Pyli, eximię fortitudinis documentum dedit. deinde in Galliam reuerſus nuſquam, ſine ſe, vel milite, vel Duce, terra, marique pro Dei cauſa dimicari paſſus eſt. nouiſsimè belli Allobrogici cura ei à Rege demandata. (defecerant autem in ea prouincia pleraque oppida ſitus aſperitate confiſa) antequam ad hoſtem contenderet, conſcientiam erratorum confeſsione expiauit, atque animum diuinæ menſæ epulis refecit. Tum ad bellum profectus omnem locorum aſperitatem, difficultatemq; naturę ſuperauit, eamque prouinciam tam quietam, ac pacatam reliquit, quam tumultuoſam repererat, ac ſeditioſam.

Sed.

Sed quoniam huius Chriſtianiſsimæ familiæ mentionem intulimus, lubet ex poemate, in Caroli, Cardinalis Lotharingij, gratiam, à me olim inchoato, quod inſcribitur, Hieroſolyma, verſus aliquot, recreandi lectoris gratia, huc afferre.

Ex primo libro Hieroſolymæ.

IAm feſsis procul apparet, cœliq; ſub oras.
Ardua ſe tollit Rhodope, & Rhodopeius Hæmus.
Perpetua ſerie latè impendentia ſaxis.
Saxa iacent; rupes impoſtæ rupibus horrent.
Tum gelidis niuibus, Boreæq; expoſta furenti,
Squallet iners montis facies, rabidiq; leonis.
Inſanas impunè minas contemnit, & iras.
Nullo vere nitet, nullos æſtatis honores
Promit. hyems canas ſedes æterna tuetur.
Primus rumpit iter, callemq; inuadit, & altis
Nubibus immixtas penetrat Gotifredus in arces.
Primus, & inpigra glacie veſtigia ponit.
Illum præruptas, patefacto limite, rupes,
Concretaſq; niues ſuperantem, hyemeſq; prementem,
Proſpexit pater omnipotens, vt, celſus ab Arcto,
Ingentes circùm populos luſtrabat, & vrbes.
Dein ſuperos circum aſpectans, læto ore, Quirites,
Cernitis Arctoæ ductorem gentis? vt altas
Inuadit primus cautes, perque aſpera rumpens
Teſqua viam, celſum caput inter nubila condit,
Noſtraq; penè ferit ſublimi vertice templa?
Cætera turba ducis magnis accenditur auſis.
Scilicet huic Aſiæ obijcient vel fraude, vel armis
Regna moras? feret hunc vel fidens Perſa pharetris,
Veloci vel Partus equo, vel Nilus opum vi?
Nempe fauens adero. Solimum vel primus in vrbem
Irrumpet. Sceptrum, tantiq; inſignia regni,
Oblatoſq; recuſabit conſtanter honores.
At regnum quod Marte ſuo, & felicibus auſis.

Fundabit, frater, ſerieſq; haud longa nepotum
Excipiet: nam, dum occiduos diſcordia Reges
Impia vexabit, cæciſq; furoribus acti,
In ſua veſanas conuertent viſcera dextras;
Barbarus erumpet, Syriamq; inuadet opimam,
Magna ſtrage ruens: Solymam vaſtabit, & omni
Exuet imperio miſeros, nec dum effera ponent
Pectora Chriſtiadæ inſani, at pro ceſpite terræ
Bellantes Aſiæ amittent ingentia regna.
At genus egregium præclari Herois, & ingens
Gentis honos viuet, nullaq; ætate ſeneſcet,
Stirpis, & antiqui decoris non immemor vnquam.
Egregia hinc olim ſoboles, hinc ordo nepotum
Egreſſus, magnum implebit virtutibus orbem,
Nullaq; gens, quacunq; micans ſol lumina voluit,
Efferet, eximia mage ſe pietate, vel armis.
Scilicet hinc (ne omnes memorē.) FRANCISCVS, *et vnà*
CAROLVS *exiſtent, magni duo lumina mundi*
Ille, decus belli, magnis acerrimus armis,
Gallica perpetuis ornabit regna trophæis,
Infandoſq; hoſtes, furijs immanibus actos
Arma mouere in me, ſtultorum more Gigantum,
Contundet. fraus, & facinus crudele triumpho
Incautum eripient. Quid non furor impius auſit?
At res, purpurei decus immortale Senatus,
CAROLVS *excipiet, tantæ formidinis expers.*
Huius conſilijs, monitiſq; fidelibus olim
Filius Henrici indomitos bello opprimet hoſtes
Funditus, & fraudem infandem conuertet in ipſos
Auctores. vnam gentem Rex vnus, & vna
Frænabit lex: hæc fatus vaga nubila, & Auſtros
Imperat humentes, toto decedere cælo.

Medicei.
Coſmus Magnus. Coſmus Magnus Hetruriȩ Dux.

Nulla familia, noſtris quidem temporibus, ad maiorum opũ potentiam peruenit. viam porrò quam, vt eò perueniret, tenuit, religionem fuiſſe cognoſces. Coſmus ille magnus, qui Mediceorum nomen mirabiliter illuſtrauit, & ad amplitudinem, priuati hominis fortuna maiorem, priuatus perduxit, poſteris verò ſuis facilem Pontificatus, Principatuſq; adipiſcendi gradum reliquit, religione ſingulari fuit, argumento ſunt tot templa, tota vrbe, tota etiam penè Hetruria, infinitis ſumptibus, extructa, ſignis, tabuliſque plenis ingenij, plenis artificij exornata, opibus locupletata. Ad hæc diuini cultus apparatum amplificauit, Sacerdotibus vberrimos agros attribuit, eccleſiæ dignitatem, omni ratione, auxit. Hęc viri clariſsimi eximia virtus aditum poſteris aperuit ad patrię, totiuſq; Hetruriæ, ſumma cum dignitate, principatum, qui in Coſmo hoc magno incohatus, in altero item Coſmo magno Hetrurię Duce, perfectus eſt. ille tantę amplitudinis fundamenta iecit, hic tectum impoſuit: ille ſemen ſparſit, iſte fructum percepit. vterque religionem egregiè coluit, & vt opulentiſsimum patrimonium liberis reliquit.

Luſitanię Reges.
Emanuel. Ioannes iij. Sebaſtianus.

In his quoque, eximium quoddam lumen pietatis effloruiſſe, nemo ignorat. huius enim amore incenſi, & à principio ſaracenos armis, ex Luſitania expulerunt, regnumq; conſtituerunt; & deinceps, contra eoſdem, in Mauritaniam traiecerunt, maximas, & munitiſsimas vrbes, Septam, Tingi, Mazaganum, atq. alias expugnarunt. vlteriuſque progreſsi, Africę oram, quæ ad occidentem ſolem ſpectat, totam perluſtrarunt. multas gentes, in his Congi regnum, & regem, miſsis eò Sacerdotibus, magnoq; ſacrorum apparatu, ab idolatria ad veri Dei cultum, agnitionemq. traduxerunt. Tum bonę ſpei promontorio, incredibili animi magnitudine, ſuperato, Aethiopibus, Arabibus, Indis citrà, atque

vltra Gangem, eorum opera, Chriſtianæ fidei ſplendor affulſit. Hoc tantum diuini nominis propagandi ſtudium, Luſitanorum nomen illuſtrauit, opes auxit, imperium in Africæ, atque Aſiæ oris, & à principio fundauit, & nunc tuetur. Emanuel Oceanum illum immenſum, qui, ab Hiſpania ad extremum Africæ caput, hinc ad vltimas orientis regiones, extenditur, ornatiſſimis claſſibus, occupauit. Goam, Malacam, Armuziam, vrbes maximas, atque opulentiſſimas, Alphonſo Alburquercio, viro incomparabili, Duce, expugnauit. Saracenorum claſſem, armis, viriſq́; inſtructiſſimam, magna dimicatione, deuicit. Ioannes III. Diu, arcem munitiſſimam, & quæ mari Carmanico longè, lateq́; dominatur, potentiſſimo Carmanorum Regi, longa contentione ademit, eamque bis à Turcarum, Carmanorumq́; impetu, ſumma virtute, defendit. Sebaſtianus omnes ferè Orientis Reges contra Luſitanum nomen, facta conſpiratione, armatos, ſuſtinuit, proſtrauit, comminuit. At ipſe, dicet aliquis, in Mauritaniam profectus, cum toto, penè exercitu, caſus eſt. Quis nouit ſenſum Domini? Mihi idem videtur Sebaſtiani, qui Ioſiæ regis exitus. Vterque, cum inſigni pietatis laude floreret, bellumq́; non neceſſarium ſuſcepiſſet, prælio ſuperatus, interijt. & Ioſiam quidem ipſemet hoſtis, Nechao, Rex Aegypti, ne ſe laceſſeret, hortabatur: Sebaſtianum verò Principes omnes, ab ea expeditione reuocare, tentabant. ille hoſtis obteſtationes, hic amicorum preces repudiauit. Vterq́; leui negotio victus, interfectuſq́; eſt. Quare Deus Ioſiam vinci, atque occidi permiſerit; filios vero, & nepotes partim à Pharaone, Aegypti rege, partim à Nabuchodonoſore capi, & in ſeruitutem abduci, docent ſacræ litteræ, in cauſa fuiſſe Manaſſes, & populi impietatem. Ita enim ſcriptum eſt. Factum eſt autem hoc, per verbum Domini, contra Iudam, vt auferret eum coram ſe, propter peccata Manaſſe vniuerſa, quæ fecit, & propter ſanguinem innoxium, quem effudit, & impleuit Hieruſalem cruore innocentium, et ob hanc rem noluit Dominus propitiari ex quo intelligitur Ioſiam, propter peccata, quæ populus auctore, & Duce Manaſſe, admiſerat, ſuperatum fuiſſe, atq́; occiſum, Sebaſtianum quare Luſitaniæ ademerit; cũ multæ afferri graues cauſæ 4.Reg. 24.

F poſ-

poſſunt; tum præcipuè vna mihi, quantum homini, non magni ingenij, timidè, ſubmiſſeq́ de occultis Dei iudicijs, ſuſpicari licet, maximè in mentem uenit, Deum, tanta calamitate, atq. offenſione, ſtatuiſſe Luſitanos, ſecundis rebus, admirabilibusq́ uictorijs, quibus potentiſſimos Aſiæ Reges ſæpe fregerant, elatos, & de uiribus ſuis ſuperbè nimis ſentientes, comprimere, & ad animi modeſtiam, ſubmiſsionemq́ reuocare.

Sacrificia, & preces. Cap II.

Religionis effectus præcipuè ſunt ſacrificia, atq; humiles preces, quibus diuinum numen placatur. Quæ quidem, cum ex Dei nutu regna, & bellorum euentus pendeant, ſapientiſſimi quiq́ Reges, atque Imperatores multò plus ad bella cōficienda, Remq́ publicam rectè adminiſtrandam ualere, quam tormentorum, atque armorum uim, omni ætate, cenſuerunt. Nam cum hæc nobis concilient, atque adiungant Deum exercituum; quid ijs firmius ad hoſtes perdomandos? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis reſtitit ei, & pacem habuit? non eſt conſilium contra Dominum, itaq. Dauid hoc præſidio fretus, omnium inſegentium
Pſal. 26. *conſpirationem, impetumq́ contemnebat. Si conſiſtant (ait) aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.*

Samuel.

1. Reg. 7. *Samuele ſacrificante, Iudęi, Domino pro ipſis acerrimè pugnante, glorioſiſſimam uictoriam de Philiſthæis conſequuti ſunt. ita enim legimus. Factum eſt autem, cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſthei, iniere prælium contra Iſrael. Intonuit autem Dominus fragore magno, in die illa, ſuper Philiſthijm, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filijs Iſrael. quam quidem excellentem uictoriam, Samuelis precibus, & ſacrificijs potius, quàm Iudeorum armis, & virtute, partam fuiſſe, docet Eccleſiaſticus, ubi*
Eccl. 46. *de Samuele loquitur. inuocauit Dominum omnipotentem, in oppugnādo hoſtes circunſtantes undique, in oblationibus uiri inuiolati,*

&

& intonuit de cælo dominus, & in ſonitu magno auditam fecit uocem ſuam, & contriuit Principes Tyriorum, & omnes duces Philiſthijm. populus uero Iudeorum probè intelligens, quantum poſſent apud Deum Sanctiſsimi uiri precationes, eum enixè obteſtatur, ut pro Rep. Deo ſupplicare nunquam deſiſtat. Ne ceſſes, pro nobis, clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſaluet nos, de manu Philiſthijm. 1. Reg.

Ioſaphat.

CVm maximus Moabitarum, & Syrorũ exercitus contra Iudæos caſtra moueret, atque res ad ultimũ pene diſcrimen adducta eſſent, Ioſaphat, rex Hieroſolymæ, timore perterritus, duo ſibi, rebusq́ꝫ communibus præſidia comparauit, quæ ipſi uictoriam de hoſtibus inſignem à Deo impetrarunt. Primùm enim totum ſe contulit ad orandum, & Deum ſibi, ac ſuis reconciliandum. & exemplo, atq. auctoritate, qua plurimum ualebat, alios ad id ipſum induxit. tùm oculis in cælum ſublatis, in nobis quidem, ait, non eſt tanta fortitudo, ut poſsimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos, ſed, cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolũ habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. Omnis uero Iuda ſtabat coram Domino, cum paruulis, & uxoribus, & liberis ſuis. Quantum vero momenti hę praces, atq. aliæ, cum ſumma animi ſubmiſsione adhibitæ, habuerint, docuit præclarè Iahaziel leuites, de filijs Aſaph, qui diuino ſpiritu repente afflatus, Attendite, ait, omnis Iuda, & qui habitatis in Ieruſalem, & tu Rex Ioſaphat; Hæc dicit Dominus vobis, Nolite timere; nec paueatis hanc multitudinem, non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. Non eritis, uos, qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate, & uidebitis auxilium Domini ſuper uos, ò Iuda, & Hieruſalem. Nolite timere, nec paueatis, Cras egrediemini contra eos, & dominus erit uobiſcum. 2. Par. 20.

Alterum præſidium fuit Dei laudum prædicatio. Porrò Leuitæ de filijs Caat, & de filijs Core, laudabant Dominum Deum Iſrael, uoce magna, in excelſum. & ipſemet Ioſaphat dedit conſilium populo, & ſtatuit cantores Domini, ut laudarent eum, in turmis 2. Par. 20.

 ſuis,

ſuis, & antecederent exercitum, ac, voce conſona, dicerent. Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia eius. His verbis, cum illi Dei in ſe miſericordiam prædicare, atque efferre cœpiſſent, hoſtes in furorem acti, in ſe ipſos arma verterunt, atq; ingenti cæde facta, Iudæis nihil, niſi prædam, & ſpoliorum legendorum laborem, reliquerunt. Hanc Dei laudum prædicatarum vim præclarè intelligens Dauid, laudans, inquit, inuocabo Domi-
Pſal. 17. num, & ab inimicis meis ſaluus ero.

Achab. Ioſaphat. Rex Edom.

QVanta ſit ſacrificiorum vis, ad bellorum difficultates tol-
4. Reg. 3. lendas, ex ijs clariſsimè elucet, quæ, tertio capite quarti libri Regum, commemorantur. nam cùm Hieroſolymæ, Samariæ, atque Idumeæ Reges in Moabitas, cum magnis exercitibus profectos, in vaſtiſsimis ſolitudinibus, aqua defeciſſet, & ad extremum penè caſum, neceſsitatemq; aut mortis, aut ſeruitutis ſubeundæ, adducti eſſent, ad Eliſeum Prophetam, qui tum fortè aderat, conuerſi, ei ſummam rerum ſupplices commendarunt. ille, in gratiam Regis Hieroſolymitani, liberaliter pollicitus, bono eos animo eſſe iuſsit. nec multo poſt, tota illa ſolitudo aquis repentè, ſereno cœlo, redundauit. Sed, vt intelligeretur, quantarum virium ſint religioſorum hominum ſacrificia, & preces, aquæ illæ, eo potiſsimum tempore, longè, latèque eruperunt, atque exuberarunt, quò ſacrificia factitari conſueuerant. Ita enim ſcriptum eſt. Facto igitur mane, quando ſacrificium offerri ſolet, aquæ veniebant per uiam Edom, & repleta eſt terra aquis. Quòd ſi tantum proderant antiqua ſacrificia, quæ non ſuapte ui, ſed hominum fide nitebantur; quid de liturgiæ, miſſæq; ſacrificio dicendum eſt?

Ex Ioele Propheta.

HIc, cum, impendentem Iudæorum rebus, calamitatem grauiſsima, atque exageratiſsima oratione, non ſolum prædixiſſet, ſed etiam deſcripſiſſet, & ſub oculos poſuiſſet, ſubiecit deinde fore, vt ea mala Reip. imminentia auerterentur, & pax bel-

lum,

lum, ſummamq; annonæ caritatem rerum omnium abundantia conſequeretur, Deo Sacerdotum precibus, gemituq́; placato. Plorabunt ſacerdotes, (ait) miniſtri Domini, & dicent, Parce domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium. & paullò poſt. & reſpondit Dominus. ecce ego mittam uobis frumentum, & vinum, & oleum, & replębimini eis, & non dabo uos vltram opprobrium in gentibus. Ioel. 2.

Ioachaz, Rex Samariæ.

HAzaele, & Benadado, Regibus Syriæ, Samariam, atque Iſraelem duriſſima ſeruitute prementibus, cum omnia circumſpectans ille, quò ſe uerteret, non haberet, deprecatus eſt faciem Domini, & audiuit eum Dominus: vidit enim anguſtiam Iſrael, quia attriuerat eos rex Syriæ, & dedit Dominus Saluatorem Iſrael. 4 Reg. 13.

Iacobus Niſibis Epiſcopus.

SAporis, Perſarum Regis, conatus omnes, atque impetus contra Niſibim vrbem, quam extremum in diſcrimen, iam penè addu xerat, diui Iacobi eius ciuitatis Epiſcopi preces ad Deum opt. max. fuſæ, eluſerunt. Deus enim famuli ſui interceſſione permotus, culices, atque crabrones tanta ui in Barbaros immiſit, ut eorum aculeis, & ſtimulis illi exterriti, atque transfixi, oppugnationem omiſerint, & in effuſam fugam verſi ſint.

Theodoſius iunior.

DE Theodoſij iunioris pietate, multa, & præclara Eccleſiaſticæ hiſtoriȩ auctores memoriæ prodiderunt, quorum illud non eſt hoc loco prætereundum quod Nicephorus monachus ſcribit, cum multas, glorioſasq́; uictorias, orationis ardore, potius quàm militum uirtute, obtinuiſſe.

Caro-

Carolus IX. Galliæ rex.

Hic, cum perduellibus, bellum, magno animo, inferre ſtatuiſſet, & non nemo eius expeditionis, difficultates, uerbis magnopere exaggeraret; ipſe Chriſtianiſſimè reſpondere ſolitus erat, ſe quidem pugnaturum, Sanctiſſimum verò Patrem (ita enim Galli Pontificem Maximum appellant, (qui tunc erat Pius V.) pro ſe oraturum.

Diuini præſidij fiducia. Cap. III.

DAVIDIS incredibiles victorias, noſtræ ætatis Reges admirantur: pietatem, qua ille, potius quam armis, ſuos vbique hoſtes ſuperauit, vtinam imitarentur: nemo ipſe ſibi magis diffidit; nemo diuinæ bonitatis fiduciam maiorem habuit. in ea omnem ſuam ſpem locat; eam mirificis nominibus variè declarat. Psal. 17. *Diligam te, ait, Domine fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum. protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Vides quàm variè, quàm enucleatè, & quam eleganter diuinæ bonitatis fiduciam, qua ipſe nitebatur,* Psal. 26. *exponat? audi nihilo inferiora. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepi-* Psal. 45. *dabo? ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. & alibi ſe Dei præſidio, & virtute fretum nullo timore perterritum iri* Psal. 46. *aſſerit, ne ſi terra quidem contremiſcat, & in medium mare montes excutiat. Vbique verò, quod ſanè admiratione dignum eſt, cum diuinam opem implorat, magni argumenti loco, affert ſuam in* Psal. 7. *Dei bonitate ſpem, & fiduciam. Domine Deus meus, in te ſperaui,* Psal. 15. *ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me. Conſerua me Do-* Psal. 24. *mine, quoniam ſperaui in te Deus meus in te confido, non erube-* Psal. 30. *ſcam. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. In Do-* Psal. 70. *mino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem*

ſicut

ſicut paſſer, ità Rex ille clariſſimus Deo Duce, atque adiutore maximos exercitus fudit, ampliſſimas vrbes cæpit, latiſſimas prouincias, quæ Nilo, atque Euphrate, & Syriaco, atque Arabico mari continentur, vectigales fecit.

Idem.

NIhil verò pulchrius legi poteſt illis verbis, quibus idem Dauid, cum Golia congreſſurus, vſus eſt ad ſignificandam diuini præſidij fiduciam. Tu venis, inquit, ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autem venio ad te, in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael, quibus exprobraſti hodie. hac ille fiducia fretus, victoriam ſibi pollicetur, & iam cogitatione præſumit. Dabit te Dominus in manum meam, & percutiam te, & auferam caput tuum à te. 1. Reg. 17.

Ioſaphat.

IOſaphat Rex Hieroſolymę, cum in hoſtem ferocia, & numero præſidentem, exercitum ſanè exiguum, atque infirmum duceret, aduocata concione, hiſce eum verbis maximum, & firmiſſimum reddidit. Audite me, inquit, viri Iudę, & omnes habitatores Ieruſalem. Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis; credite Prophetis, & cuncta euenient proſpera. 2. Par. 20.

Ezechias.

CVm Rex Aſſyriorum, Sennacherib, maximas ęquitum, peditumq; copias, adduxiſſet in Iudęam, vrbemq; Hieroſolymã arctiſſima obſidione cinxiſſet, Ezechias populum magno timore perterritum, & de ſalute penè deſperantem, hiſce verbis armauit, atq; erexit. Viriliter agite, & confortamini. Nolite timere; nec paueatis Regem Aſſyriorum, & vniuerſam multitudinem, quæ eſt cũ eo: multò enim plures nobiſcum ſunt, quàm cum illo. Cum illo enim eſt brachium carneum; nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatq; pro nobis. 2. Par. 32.

Iudas

Iudas Machabeus.

1. Mach. 3. *SErone, Syriæ Regis Duce, cum ingenti, atque ornatiſſimo exercitu in Iudeam ad Apollonij cædem, atque alterius exercitus internecionem, vlciſcendam, aduentante, Iudas cum exiguis admodum copiolis, caſtra contra eum mouit. At cum ſuos, hoſtium multitudine, per terrefactos eſſe, animaduerteret, indicto ſilentio, ita eorum animos, ad ſpem certiſſimam victoriæ, excitauit, atque erexit. Facile, inquit, eſt concludi multos in manu*
1. Mach. 8. *paucorum, & non eſt differentia, in conſpectu Dei cœli, liberare in multis, & in paucis. quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo victoria eſt. His, atq; eiuſmodi verbis, recreatis, confirmatisq́ militibus, Seronem, commiſſo prælio, ſuperauit, exercitum internecione deleuit. Eadem ratione, cum alios multos, tum in primis Nicanorem, exiguiſſimis copijs, profligauit. hiſce enim verbis, milites ſuos acuit, atque armauit. Illi quidem ait, armis confidunt, ſimul & audacia; nos autem in omnipotente Domino, qui poteſt, & venientes aduerſum nos, & vniuerſum mundum, vno nutu, delere, confidimus.*

Emanuel Luſitaniæ Rex.

OMnium rerum, quæ à noſtri ſæculi hominibus, multæ, ac magnæ tentatæ, confectæq́ ſunt, maxima meo iudicio fuit Luſitanorum in extremas orientis regiones; veteribus ignota, plerisq́ incredibilis, omnibus admirabilis nauigatio. ſiue enim locaſpectes, nihil longinquius, ſiuè viam, nihil inopinabilius, ſiuè Oceanum, quem traijcere neceſſe eſt, nihil vaſtius, ſiuè tempeſtates, quibus ſe exponunt, nihil periculoſius. Quòd ſi rem totam tecum animo reputes, nihil inuenies, vel à Grecis, vel à Barbaris, vel à Romanis geſtum, quod cum ea Luſitanorum expeditione, comparari, conferriuè poſſit. Quid commemorem Turcarum, Maurorum, Indorum, Carmanorum, atque aliarum gentium, quibuſcum pugnatum, terra, marique ſumma contentione, eſt, potentiam? Hæc cum in deliberatione, Emanuel, Rex immortalitate digniſſimus, poſuiſſet, plerique rem diſſuadere, Regemq́ ab in-

inſtituto reuocare. conabantur, quòd dicerent, eam expeditionem, Luſitaniæ, & periculoſam, & detrimentoſam non eſſe non poſſe. Reſpondit paucis Rex; Deum, cuius gloriæ propagandæ, nominiſq́; illuſtrandi cauſa, ea ſuſcipiebatur, cauſæ ſuæ non defuturum; quod quidem Regis ſapientiſsimi reſponſum, ipſe rerum exitus comprobauit.

Humilitas. Cap. IV.

DEVS Opt. Max. eò omne opus ſuum refert, vt numen, ac vim ſuam omnibus aperiat. Dei porrò vis, ac poteſtas in his maximè rebus elucet, quibus, vel magna minuuntur, vel parua amplificantur. Quapropter Dominus ille rerum omnium elatos, & ſuperbos homines proſternit; humiles, & abiectos in ſolijs Regum locat. ex quo intelligitur, eum qui magnus eſſe velit, in eo debere ſe ſe exercere, vt quammaximè ſe abijciat, & nihil eſſe cognoſcat. Deus enim, non alia materia vtitur ad res maximas efficiendas, quam ipſo nihilo. Hoc intelligere cum omnibus neceſſarium eſt, tum maximè Regibus. Hi enim debent, vt dignitate cæteros antecedunt, ita humilitate Deo ſe ſe maximè ſubmittere. Quia magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.

Dauid.

DAuid, Rex omnium clariſsimus, animi ſui ſubmiſsionem cũ toto pſalmo centeſimo trigeſimo teſtatus eſt, tum maximè illis uerbis, quæ ad Michol, filiam Saulis, pietatem ſuam deridentẽ, fecit. Pſal. 130.
nam dum omni genere celebritatis ex domo Obededom archam fœderis ille transferret, depoſuit quaſi perſonam regiam, ad animi lætitiam, voluptatemq́; ſignificandam ſono, cantu, ſaltatione. Quod cũ Michol è feneſtra proſpexiſſet, & eum, ſecum, ipſa inſolenter deriſit, & domũ redeunti obuiam facta, quam glorioſus, ait, fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorũ ſuorũ, & nudatus eſt, quaſi ſi videretur vnus de ſcurris. Cui Dauid, Viuit Dominus, q uludã ante Dominũ, qui elegit me, potiuſquàm patrem tuum, et quã 2. Reg. 6.

omnem domum eius, & præcepit mihi, vt eſſem Dux, ſuper populum Domini, in Iſrael; & Iudam, & vilior fiam, pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus loquuta es, glorioſus apparebo.

Roboam.

2. Par. 12. Roboam, *Rex Hieroſolymæ, in ſumma rerum omnium affluentia conſtitutus, à Deo deſciuit, & in idem facinus gentes ſibi ſubiectas, exemplo ſuo, induxit. Quapropter Deus Seſacem, Aegypti Regem, in eum concitauit. Is duxit in Iudæam equitum, peditumq́; multitudinem arenæ parem: cuius aduentu exterritus Roboam, & regni proceres, quo ſe verterent, circunſpectabant. Tùm Semeias Propheta, hæc, ait, dicit Dominus, Vos reliquiſtis me, & ego relinquam vos, in manu Seſac. Hiſce vocibus Iudæorum Principes perterrefacti, & nefariorum ſcelerum conſcientia conuicti, illud modò dixerunt, iuſtus eſt Dominus. Qua eorum ſubmiſſione Dominus placatus, & ad lenitatem, miſericordiamq́; conuerſus, ita Semeiam alloquutus eſt. Quia humiliati ſunt, non diſpergam eos, daboque eis pauxillum auxilij, & non ſtillabit furor meus ſuper Hieruſalem, per manum Seſac. Verùntamen ſeruient ei, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & regni terrarum.*

Achab.

3. Reg. 21. A*chabus, Rex Samariæ, Nabotis vineam magnoperè concupierat. Ille patrimonium ſuum ſe, vllo modo, alienaturum pernegabat. qua re, Achabus magno dolore afficiebatur. id cum Iezabel, eius vxor, cognouiſſet, viri ſimplicitate deriſa, Nabotem falſis criminationibus repentè circumuentum, &, per homines perditiſſimos, oppreſſum lapidibus obrui, atque interfici curat. tùm virum ſuum in illius vineam ire iubet. eunti occurrit, Dei admonitu, Helias Propheta, qui grauiſſimis verbis pœnas, ob tanti facinoris immanitatem, et à Deo conſtitutas, filiorũ cædem, atque vniuerſæ poſteritatis internecionem denuntiauit. Quæ, cum ille audiuiſſet, diuinę ſeueritatis terrore, concuſſus, veſtem*

diſcidit, cilicium induit, cibo, & vino abſtinuit, in ſacco dormitauit, & demiſſo capite, vultuq́; proceſsit. Qua hominis alioquin improbiſsimi, omniique ſcelerũ, & flagitiorum turpitudine cooperti, humilitate perſpecta, Deus, hiſce verbis Heliam compellauit. Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.

Ezechias.

Hic, opum, quibus circunfluebat, magnitudine, elatus, Dei iram in ſe concitauit; ex quo factum eſt, vt magnis cladibus ipſe, & gens Iudæorum affecta ſit. Sed eas clades humilitate tandem auertit. ita enim ſcriptum eſt. Humiliatus eſt poſtea, eò quod exaltatum fuiſſet cor eius, tàm ipſe, quàm habitatores Ieruſalem, & iccirco non venit ſuper eos ira Domini, in diebus Ezechiæ. 2. Par. 32.

Manaſſes.

Manaſſes, Rex Hieroſolymæ, cum propter intolerabilia ſcelera, & execrabilem omnis idololatriæ impuritatem, à Deo derelictus fuiſſet, & ab Aſſyriorum Rege captus, & Babylonem ductus, & in teterrimum carcerem coniectus eſt. ibi Squallore obſitus, & miſeria, atque ærumna preſſus, proſtratus, atque abiectus, Orauit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum ſuorum; deprecatusq́; eſt eum, & obſecrauit intentè. & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Hieruſalem in regnum ſuum, & cognouit Manaſſes, quod Dominus ipſe eſſet Deus.

Honor Sacerdotibus, & Eccleſiæ habitus. Cap. V.

Saul.

1. Reg. *SAVL dum Samueli morem geſſit, regnum Iudæorum ita adminiſtrauit, vt, in eo neque domi ſplendorem, neque militiæ virtutem, quiſquam deſiderarit. At poſtquàm ab eius monitis, atque auctoritate diſceſſit, domi, forisq́; nihil fuit.*

Ioas.

4. Reg. *IOas, Rex Hieroſolymæ, dum Ioiadam auctorem conſiliorum, & rerum omnium habuit, ſuis ornamento, hoſtibus terrori fuit. mortuo Ioiada, cum ille, quaſi nauis ſine rectore eſſet, à Syris, licet pauci eſſent, bello victus, atque omnibus ornamentis ſpoliatus, & à ſuis tandem interfectus fuit.*

Galliæ Reges.

Pipinus. Carolus.

EX Galliæ Regibus, qui in Romanos Pont. propenſiſſimi fuerunt, eiſque plurimùm ſemper tribuerunt, eos opibus etiam, potentiaq́; maximè floruiſſe legimus. Pipinus, vt Stephanum Pont. Max. ab Aiſtulphi iniurijs, inſolentiaq́; tueretur, bis cum magnis exercitibus, ſuperatis Alpibus, in Italiam venit. Qua de cauſa, primus, Gallorum Regum Chriſtianiſſimi cognomento, ornatus eſt. Carolus, eius filius, primùm in gratiam Adriani Pont. cui Deſiderius, Longobardorum Rex, terrori erat, deinde Leonis III. quem populus Rom. ex vrbe expulerat, in Italiam venit. Vterque hiſce clariſſimis expeditionibus, non magis Eccleſiæ dignitatem, ac ditionem, quàm ſuam auxit, ac propagauit. Et vt Pipinus glorioſiſſimũ illud cognomentum, ita Carolus Imperium occidentis ſibi, poſteriſque plurimis, & maximis in Rom. Sedem meritis, acquiſiuit.

Ger-

Germani Imperatores.

IN his, dum in Romanos Pontifices ſtudium, atque obſeruantia locum habuit, omni dignitate, gloriaq́; floruerunt. Teſtes mihi ſunt Imperatores omnes ab Othone I. ad Henricum III. Quis enim Othone I. vel armis, vel pietate præſtantior? Othone II. vel in aduerſis rebus conſtantior, vel in ſecundis moderatior? Othone III. vel in colenda Pontificum dignitate religioſior, vel in tuenda fortior? Quis Henrico primo pietatis laude clarior, militiæ gloria illuſtrior? Conrado Sueuo uirtute, & animi magnitudine præſtabilior? Henrico II. vel in aſſerenda Pontificum maieſtate conſtantior, vel in armis acrior? Henricus III. primus omnium Germanorũ Imp. Pont. Max. ſe ſe hoſtem præbuit. eum ſequuti pleriq; alij, eos exitus habuerunt, quos ſuo loco deſcribemus. ex ijs intelligitur pietatem erga Chriſti Vicarios, magno, & Imperatorum armis eſſe præſidio, & dignitati ornamento.

Eſtenſes Principes.

EStenſium familia ad eam amplitudinem, quam in Alphonſo II. huius nominis, Duce, belli, paciſque artibus clariſsimo; & in Aloiſio S.R.E. Cardinali, prudentiæ, atque humanitatis laude præſtantiſsimo, admiramur, multis, magniſque erga Romanos Pontifices, atque Eccleſiam ſtudijs, offitijsq́; peruenit. His enim artibus, Tedaldus, Vgonis filius, Ferrariam à Ioanne XII. Actius à Gregorio IX. Opitius à Benedicto XII. ijſdem Aldobrandinus Anconam ab Innocentio III. obtinuit. Nicolaus Claudus, Pont. Rom. amicitijs clariſsimus, Romanæ Eccleſiæ defenſor, (quo nomine quis triumphus illuſtrior?) communi omnium conſenſu dictus eſt. is belli gloria, omnes ſuæ ætatis Duces, facilè antecelluit. nam (vt cætera omittam) Barnabam Vicecomitem, Mediolanenſium Ducem, magno prælio, in agro Brixienſi profligauit. Bortius à Paulo II. cum Romam, religionis ergò, profectus eſſet, Ducis titulo ornatus, atque auctus eſt. multa templa magnificè extruxit: multa cænobia tum Sacrarum Virginum, tum religioſorum virorum, magnis prouentibus, dotauit.

Hic

Hæc præclariſsimorum Ducũ in Eccleſiam Chriſti merita Alphonſum, Bortij filium, in magnis tum vitæ, tum dignitatis periculis, bellorumq; vndiq; imminentium tempeſtatibus, incolumem mirabiliter ſeruarunt. Herculi verò Alphonſi filio, viro excellenti prudentia, atque humanitate, & militiæ præſidio; & domi ornamento fuerunt.

Feltrij. Roborei.

Horum amplitudinis cauſam, ſi, vt inſtituimus, quæramus, clementiam erga ſubiectas gentes, atque humanitatem, eſſe dicemus; quàm cum in alijs, tum in Franciſco Maria, qui nunc viuit, & in Iulio, Cardinali eius patruo, noſtra ætate, agnouimus. Sed & egregia erga Rom. Pont. Eccleſiamq; obſeruantia, Feltriorum, & Roboreorum dominationem tum amplificauit, tum ſtabiliuit. Qua de cauſa, Pontificum liberalitate, magna præmia, magnos etiam honores retulerunt, nam Guidus Antonius Calij Dux, Franciſcus eius frater, Vrbini Vicarius à Bonifacio VIII. Federicus Vrbini Dux à Sixto IV. creatus eſt. is militarem virtutem, qua vnicè excelluit, ad Pontificum dignitatem tuendam in regno Neapolitano, & in Vmbria, contulit. Guidobaldus, omnium togatorum Ducum clariſsimus, Roboream familiam, quæ in Subalpinis religionis laude ſemper claruit, quod (ne Hieronymum, Taurinorum Archiepiſcopum, vtriuſque linguæ ſcientia, atque humanis, diuiniſque doctrinis, excellentem, appellem) teſtãtur Dominicus, & Chriſtophorus Cardinales, Sixtus IIII. & Iulius II. Pontifices Max. in Feltriam familiam adoptione adſciuit. Franciſcus Maria licet militari virtute excelleret, tamen & cum Leone X. à quo Vrbino eiectus fuerat, & cum Paulo III. à quo Camerini poſſeſsione prohibebatur, modeſtè ſe, vt optimum filium erga iratum patrem decebat, geſsit. qua de cauſa, vt ego quidem opinor, mortuo Leone, auitam ditionem, magna omnium gratulatione, recuperauit. Guidobaldus eius filius non minus modeſtum ſe, in eadem Camerini cauſa, erga Paulum III. præbuit. tum ſub Iulio III. militauit. & poſt Marcelli mortem, cum bis mille peditibus, Cardinalium Collegio præſidio

fuit. reliquam ætatem, Victoria Farneſiæ ſanctitate, & filij virtute fœlix, pacatè, religioſeq́; traduxit.

Boni Viri. Bonorum ſocietas. Cap. VI.

QVANTVM *valeat ad ciuitatum conſeruationem bonorum virorum multitudo, luce clarius, intelligitur ex ea diſputatione, quam, cum Deo Opt. Max. Abrahamus habuit. nam cum Deus Pentapolim euertere, propter incredibilium flagitiorum turpitudinem, fœditatemq́; ſtatuiſſet, Abrahamus ita cum ipſo ratiocinari cœpit, vt cum Dominum rogaſſet, eſſetne ciuitatem euerſurus, in qua, quinquaginta viri boni inuenti eſſent, idque Dominus negaſſet; rem eò deduxerit, vt ſe toti ciuitati veniam daturum eſſe Deus profiteretur, ſi in ea decem viri boni reperirentur.* Gen. 18.

Ex Hieremia Propheta.

IDem *Dominus, qui Abrahamo aſſeuerat, ſe veniam daturum eſſe Sodomitis, ſi vel decem homines non mali, in ea ciuitate inueniantur, apud Ieremiam ait, ſe Hieroſolymæ tot, ac tanta ſcelera, quæ, cum ipſa vrbe, delenda erant, condonaturum, ſi vel vnus in ea vir bonus inueniatur. Circuite, ait, vias Hieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Hier. 5.

Societas bonorum. Cap. VII.

QVANQVAM *facinoroſorum hominum ſocietas bonis viris calamitoſa eſſe nonnunquam ſolet, vt ſuo loco demonſtratum eſt, bonorum tamen hominum ſodalitas*

malis

malis ſemper vtilis, ſæpe etiam ſalutaris fuit. nam, vt ſolis luce, & imbrium opportunitate, non ſolum meſſes, & vineæ, ad quas alendas, & ad maturitatem perducendas lumen, & pluuia è cœlo dimittuntur, ſed etiam in eodem agro, filices, & lappæ recreantur, ita Dei muneribus ſæpè improbi homines, propter bonorum ſocietatem, participant.

Laban.

Gen. 30.

Laban, inita cum Iacob ſocietate, rem ſuam multis acceſſionibus amplificauit, indulſit enim illi Dominus propter inſignẽ Iacobi pietatem. Quod ipſe Iacob, hiſce verbis, Labano teſtatus eſt. Modicum habuiſti, antequàm venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitq́; tibi Deus ad introitum meum. hæc ille. neque id Laban inficiatur. Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.

Loth. Segor.

Gen. 19.

Cvm Deus Pentapolim delere, atque inflammare ſtatuiſſet, Loth, pro Segoris incolumitate, eum enixè rogauit. cui ille benignè indulgens, Ecce, inquit, etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, vt non ſubuertam vrbem, pro qua loquutus es. Feſtina, & ſaluare ibi, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.

Abraham. Abimelech Rex Geraræ.

Gen. 20.

Abimelech Saram vxorem Abrahæ eripuerat. cui, apparens Dominus Deus in ſomnis, mortem minatus eſt, niſi mulierem intactam ad virum ſuum quamprimùm remitteret. Tùm hæc verba, ex quibus quantùm bonorum virorum preces valeant, intelligitur adiecit. Nunc ergo redde viro ſuo vxorem, & orabit pro te, & viues.

Phu-

Phutiphar.

HIc Eunuchus Pharaonis, Regijq. exercitus præfectus, Ioſephum à mercatoribus, quibus eum fratres vendiderant, emit, rebusq; ſuis omnibus præfecit. quo facto, ipſam felicitatem domum ſuam inuexiſſe viſus eſt. Nam, Benedixit Dominus domui Aegyptij propter Ioſeph, & multiplicauit, tàm in ædibus quàm in agris, cunctam eius ſubſtantiam. Gen. 39.

Cericus Comes Orientis.

CEricus Romani exercitus, in Oriente, Comes, (ita præfectum vocabant) expeditionem in Perſas parans, ad Theodorum Cænobiarcham, (Simone Metaphraſte auctore) virum ſanctiſſimum, conſilij, præſidijq; cauſa, acceſsit. ille ipſum monuit, ne victoriæ ſpem in arcu, aut in gladio collocaret, ſed in nomine Domini exercituum. Cericus viri ſanctitate excellentis, amore captus, ab eò enixe contendit, ſuum vt ſibi cilicium daret. Quod cum facilè obtinuiſſet, illud ſibi, pro thorace, & lorica, induit, & ad bellum profectus, hoſtem, leui negotio profligauit.

Theodoſius Senior.

HIC etiam, cum in maximum, difficilimumq; bellum, quod, cum Arbogaſte Tyranno, geſsit, incidiſſet, parum humanis opibus fidens, diuinum ſibi præſidium comparare ſtatuit. Cùm ergò audiſſet, Senuphium, virum admiranda virtute præſtantem, in Aegypti ſolitudinibus verſari, Theophilo, Alexandriæ Archiepiſcopo ſcribit, vt eum ad ſe quamprimùm venire curet. Theophilus, rem non ita facilem fore ſuſpicatus, ipſe ad hominem accedit: Imperatoris mandata exponit; orat, obteſtatur et vt morem gerat. Senuphius mirari quid vellet; nihil ſe homine maius habere. Nihil Solitudini cum aula; nihil Monacho cum

Imperatore eſſe. Tandem, quia Archiepiſcopus vrgebat, mediam quandam ſequutus viam, neque iuſſit, & non defuit Imperatori. nam ad Orientem Solem conuerſus, cum penulam, qua humeros tegebat, & baculum, quem præ manibus habebat, ſublimè ſuſtuliſſet, Domine Deus, inquit, exercituum, da huic meæ penulæ & huic baculo, tantùm vt poßint, quantum ego ipſe, ſi adeſſem. Tùm ad Archiepiſcopum conuerſus, accipe, inquit, & ad Cæſarem mitte, eique ſcribe, vt penulam quidem capiti, pro galea, imponat: baculum verò manu, pro enſe, ſtringat. tum de victoria ne dubitet. Quæ cum Imperator, ad vnguem, obſeruaſſet, admirabilem de hoſtibus victoriam reportauit, eiuſque diem feſtum eſſe voluit. eam celebritatem Iconium Alexandrini appellarunt, quòd ſtatuam, baculo, & penula inſignem, Imperatori poſuiſſent.

Achabus.

Achabus, Samariæ Rex, liberatus eſt ab exitio, quod ei, totique exercitui ab hoſtibus, locorumq́; incommodis impendebat, in gratiam Ioſaphat Regis Hieroſolymæ, qui in eadem quaſi naui, & periculo erat. In eius enim gratiam, Eliſeo orante, regio illa, ſuapte natura, ſterilis, atque arenoſa, aquis ſubito affluentibus redundauit. Habitam autem fuiße rationem Ioſaphat, non Achabi, quorum ille religione, modeſtiaq́; excellebat; iſte, propter impietatem omnibus execrabilis erat, teſtatur ipſe Eliſeus, ita enim Achabum alloquutus eſt. viuit Dominus exercituum, in cuius conſpectu ſto, quòd ſi non vultum Ioſaphat, Regis Iudæ erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem.

Aurelius Antoninus Imperator.

Simile quid Eliſei miraculo, conſimili in caſu, & periculo accidit Antonino, in eo bello, quòd, contra Marcomannos, geſſit. Nam cum exercitus, ſumma aqua penuria laboraret, &

ſiti

ſiti penè conficeretur, legionis Chriſtianæ, quæ in eo exercitu erat, precibus, imbres affatim defluxerunt, quibus exercitus refectus, & ab interitu liberatus eſt. Quod quidem beneficium ipſe Imperator Chriſtianorum precibus, ſcriptis ad Senatum litteris, ingenuè acceptum retulit.

Peccatorum confeſsio, & pœnitentia. Cap. VIII.

PERTINENT *ad hoc caput ea, quæ de humilitate ſupra commemorauimus. Humilitas enim Achabi, & aliorum, genus fuit pœnitentię, magna eſt vis pœnitentiæ. hac enim corrigit, quæ deprauat; reſtituit, quę diſturbat peccatum. Dei iram, atque indignationem auertit, & ad placabilitatem, clementiamq́; traducit. & vt culpa omnem in nos rerum naturam concitat, ita, pœnitentiæ beneficio, omnia nobiſcum in gratiam redeunt.*

Dauid.

P*Eſtilentiam Hieroſolymæ horribiliter ſæuientem, atque Angelum Domini infinitam hominum ſtragem edentem, auertit* 2.Reg.24.
Dauid, Domino, peccati ſui confeſſione, placato. Ego ſum, inquit, qui peccaui, & ego iniquè egi; iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt. His, atque alÿs huiuſmodi, verbis, ex imis pręcordÿs prodeuntibus, pacem, veniamq́; impetrauit. Angelus gladium in vaginam recondidit. peſtilentia de loco abÿt. Omnia ſunt, à ſummo mærore, & luctu, ad hilaritatem, lętitiamq́; traducta.

Niniuitæ.

H*I omni vitiorum genere cooperti, atque adeò obruti cum eſſent, impendens ipſorum rebus exitium, & Dei minas, ac furorem inedia, & pœnitentia auerterunt. Nam, cum miſſus ad*

eos Ionas, Propheta, vrbem illam omnium maximam, & frequentiſſimam, intra quadraginta dies ſubuerſum iri, Dei iuſſu, denuntiaſſet, Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem.

Ex Hieremia.

Ier. 18. *QVanta ſit vis pœnitentiæ, melius intelligi aliunde non poteſt, quàm ex ipſius Dei verbis, apud Ieremiam Prophetam. Cum enim Deus Ieremiam ad figulum quendam miſiſſet, ille verò, ipſo ſpectante, primùm vas finxiſſet, deinde verò diſſipaſſet, atque aliud effeciſſet, ſubiecit Deus, Nunquid, ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, domus Iſrael? ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea. Repentè loquar aduerſum gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si penitentiam egerit gens illa à malitia ſua, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei.*

Ieiunium. Cap. IX.

Niniuitæ.

IEIVNIVM pars eſt pœnitentiæ. hoc ad omnia pericula depellenda, & Dei iram leniendam, maiores noſtri ſemper adhibuerunt. & Niniuitas quidem nemo eſt, qui Ion. 3. *ignoret ciuitatem ſuam ieiunio conſeruaſſe incolumem, & ex grauiſſimo periculo, exitioq́ liberaſſe.*

Saul.

BOni Imperatores ſolent exercitū, antequam aciem inſtruant, prœliumq́ committant, cibo reficere, & confirmare, ne in pugna, eum vires deficiant. Saul contra, in eo bello, quod cum Phi- 1. Reg. 14. *liſthæis primum geſſit, feliciſſimèq́, Deo propugnante, confecit, per præconem pronuntiari, edicīq́ iuſſit, ne quis, ante veſperam,*

cibum

cibum caperet. Quare, Deo ſibi adiuncto, hoſtes fudit, clariſſimamq́; victoriam adeptus eſt.

Rectè facta parentum. Cap. X.

NOn exigui momenti ſunt ad filiorum, totiusq́; poſteritatis incolumitatem, amplitudinemq́; tuendam, parentum rectè facta. Quòd cum probè Moſes intelligeret, Deum Hebreorum genti vehementer iratum, Abrahami, Iſaac, Iacob, ſanctiſſimorum virorum, commemoratione, placare conatur. Recordare ſeruorum tuorum Abraham, Iſaac, & Iacob: ne aſpicias duritiam populi huius, & impietatem, atque peccatum. Deut. 9.

Dauid.

CVm propter Salomonis impuritatem, atque idololatriam, Deus ſtatuiſſet Roboam, eius filium ſtirpemq́; vniuerſam, regno ſpoliare, reliquit tamen ei, propter ſummam Dauidis religionem, ac ſanctitatem, Hieroſolymam, & tribum Iudæ. Vna tribus, inquit, remanebit ei, propter ſeruum meum Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & præcepta mea. 3. Reg. 11.

Idem.

RVrſum, cum Ioram, Iudeæ Rex, omnibus flagitÿs, turpitudinibusq́; ſe ſe dedidiſſet, & populum ſibi ſubiectum in omnem impuritatem exemplo ſuo, induxiſſet, noluit Dominus diſperdere Iudam, propter Dauid ſeruum ſuum. 4. Reg. 8.

Ieheu.

IEhu Samaria regnum poſteris ſuis, ad quartam vſque ætatem, diuinæ gloriæ zelo, promeritus eſt. Quod Deus ipſe luculentiſsimis verbis ſignificauit. Quia ſtudioſè egiſti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, filÿ tui, vſque ad quartam generationem, ſedebunt ſuper thronum Iſrael. 4. Reg. 10. 15.

Rectè

Rectè facta propria. Cap. X.

2.Par. 12. *CVm Seſac, Aegypti Rex, cum infinita penè hominum multitudine, in Iudęam veniſſet, eamq; funditus euertere pararet; repentè diuini numinis inſtinctu, immutatus, templi ornamentis direptis, diſceſſit; Quia auerſa eſt ab eis ira Domini, nec deleti ſunt penitus, ſi quidem in Iuda inuenta ſunt opera bona.*

Ioſaphat.

2.Par. 17. *DE Ioſaphat Rege clariſſimo legimus fuiſſe eum, & pacis artibus, & militię gloria florentiſſimum. cauſa autem ea fuit, Quia ambulauit in vijs Dauid, patris ſui, primis. quamobrem Deus immenſis eum opibus cumulauit. Ille verò, animo, propter rectè facta, auctus, mirabiliterq́; confirmatus, in magna apud ſuos exiſtimatione, atque auctoritate erat.*

Idem.

2.Par. 19. *EVndem Ioſaphat, propter impiorum ſocietatem, Dei iram commeritum, eiuſdem Dei benignitate, propter rectè facta ſeruatum fuiſſe, Iehu Propheta docuit. Iram quidem Domini merebaris: ſed bona opera inuenta ſunt in te.*

Iudas Machabeus.

1.Mach. 3. *QVantum optima mentis, rectèq́; factorum conſcientia valeat, ex ijs, quæ de Iuda Machabęo ſcripta ſunt, facilè intelligitur. hic enim, plenus operibus bonis, dilatauit gloriam populo ſuo, & induit ſe lorica, ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma ſua bellica in pręlijs, & protegebat caſtra gladio ſuo. Similis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis rugiens in venatione.*

Diuini honoris ſtudium. Cap. XI.

CVM Deus ſit laus, atque honos noſter, eò glorioſior, atque illuſtrior, quiſque exiſtit, quo diuinę glorię ſtudioſior eſt. huius autem ſtudij contentionem, zelum ſacra litterę vocant; quo qui excelluerũt ampliſsimos ſunt honoris, ac dignitatis gradus conſequuti.

Phinees.

CVm Iudæi, mulierum Moabitarum amore inflammati, patria religione contempta, impiorum ſacris ſe ſe addicerent; vehementer in eos, Domini ira exarſit, atque excanduit. & tamen, inter hæc, non nemo de numero Iſraelitarum Moſe, & populo omni aſtante, atque inſpectante, ad meretricem Madianitidem ingreſſus eſt. hoc hominis turpiſsimi facinus Phinees Eleazari filius ferendum ſibi eſſe non putauit, ſed in lupanar ingreſſus, virum, ac mulierem pugione, confodit. quod viri præclariſsimi facinus, & Dei iram, furoremq́; placauit, & ipſi ampliſsimum Sacerdotium, ac gentis ſuæ principatum obtinuit. Quia Zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſrael. Num. 25. Eccl. 45. Num. 25.

Iehcu.

HVc ſpectat zelus Iehcu, quem ipſe Ionadabo, illis verbis ſignificauit, veni mecum, & vide Zelum meum pro Domino. Dominus porrò, huius Zeli cauſa, regnum Samariæ ei attribuit, &, in quartam vſque ætatem, eius poſteris prorogauit. 4. Reg. 10. 4. Reg. 12.

Ezechias Rex Hieroſolymæ.

ESaias Propheta, & Ezechias Rex, cum horribiles blaſphemias in Deum Opt. Max. ab Aſsyriorũ regis miniſtris iactatas, 2. Par. 32.

tas, & execrabili animi impietate, quaſi aħento, contortas, audiſſent, grauiſſimo animi dolore propter iniuriam diuino nomini illatam, inflammati, orauerunt aduerſus hanc blaſphemiam, & vociferati ſunt vſque in cœlum, & miſit Dominus Angelum, qui percuſſit omnem virum robuſtum, & Principem exercitus regis Aſſyriorum.

Machabæi.

NIhil eſſe poteſt, hoc in genere, illuſtrius Machabæorum exemplo, quibus quidem non armorum genus, non militum multitudo, non auri, argentiq. vis, quæ nulla ipſis erat, ſed Zelus,
1. Mach. & ſtudium diuinæ legis, & diuini nominis amplificandi, victorias, & triumphos attulit immortales. Huius gentis Princeps Mathatias fuit, qui hoc mirabile diuinæ gloriæ, longè, latèque propagandæ ſtudium ad poſteros ſuos, quaſi hæreditario iure, tranſmiſit. Hunc cum Antiochi Regis legati, à patria religione ad idololatriã, traducere, omni ratione, contenderent; Regis gratiam, ampliſſimos homines, maximas opes effuſè pollicerentur, grauiſſimis verbis ſe, aut fratres, filioſuè ſuos, tantum facinus, ac ſcelus ſuſcepturos eſſe pracisè negauit. Dixit enim, magna voce, etſi omnes gentes Regi Antiocho obedirent, vt diſcedant vnuſquiſque à ſeruitute legis patrum ſuorum, & conſentiant mandatis eius, ego, & filij mei, & fratres mei obediemus legi patrum noſtrorum. Cumq. dum hæc diceret, Iudæum quendam hominem vidiſſet idololatriæ operam dantem, ſummo animi dolore propter iniuriam Deo factam, incenſus, impetu in hominem facto, eum, Regisq́; Antiochi legatum, impietatis ſuaſorem, atque auctorem, contrucidauit, aramq́; deſtruxit. Omnis inquit, qui zelum habet legis, ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me.

Votum. Cap. XII.

Iſrael.

VOtis ritè nuncupatis ſæpè Dei bonitatem ſibi clariſſimi Duces conciliarunt, numenq; adiunxerunt. Hebrei, magna, à Rege Arad, clade accepta, vouerunt ſe, ſi hoſtes ſuperaſſent, hoſtium vrbes ſolo æquaturos. Exauditq; Dominus preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit, ſubuerſis vrbibus eius. & vocauit nomen loci illius Horma, id eſt anathema. Quo quidem loco res eſt animaduerſione digna, Deo ea eſſe vota gratiſſima, quæ ab animi magnitudine, rerumq; terrenarum deſpicientia proficiſcuntur. cuiuſmodi fuit ſuperius Hebreorum votum, quo ſpoponderunt ſe hoſtium ciuitates euerſuros, atque opes inflammaturos. æquum autem erat eos de hoſtibus victoriam obtinere, qui de illorum opibus iam triumphum egiſſent. Num. 21.

Iephte.

HIc in filios Ammon caſtra moturus, votum vouit Domino, dicens, ſi tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocauſtum offeram Domino. Tranſiuitq; Iephte ad filios Ammon, vt pugnaret contra eos; quos tradidit Dominus in manus eius. Iudith. 11.

Petrus Luſitaniæ Regis filius.

IN eo bello, quo Ioannes Luſitaniæ Rex Septam, vrbem Mauritaniæ Tingitanæ firmiſſimam, expugnauit, Petrus vouit ſe non capturum cibum, niſi vrbe capta. adfuit optimi iuuenis voto Deus. ipſa enim die qua in terram expoſitæ copiæ ſunt, & ille votum concepit, ciuitas in Luſitanorum poteſtatem venit.

IOANNIS BOTERI BENENSIS DE REGIA SAPIENTIA.

LIBER TERTIVS.

S*VPERIORI Libro ea, quàm planiſſimè, & breuiſſimè potui demonſtraui, quibus regna conſeruantur, atque adeò augentur. quamuis autem ex ijs intelligi leui negotio poſſint ea, quibus euertuntur, & corruunt; Viſum tamen mihi eſt, librum tertium adijcere, in quo propriè, priuatimque cauſas exponerem, vnde regnorum, regumque interitus oriuntur. cauſas inquam, non quas hominis cuiuſpiam prudentia; quæ in maximis ſæpè rebus cæca eſt, aut certè lippa: ſed quas Spiritus Sanctus nobis ſignificare dignatus eſt, in ſacrarum litterarum monumentis. Nam de ijs, qui humanæ prudentiæ opinione* Iſa. 18. *gloriantur, & ex eius preſcripto Remp. adminiſtrandam ſibi eſſe cenſent; cuiuſmodi erant Principes Aegyptiorum, ita legimus. ſtulti facti ſunt Principes Taneos; emarcuerunt Principes Mempheos; deceperunt Aegyptum, angulum populorum eius. ſtulta eſt omnis ſapientia, quæ alia re, quam Dei virtute nititur. Sed redeo ad rem: earum rerum, quæ imperijs afferunt interitum, prima nobis occurrit Regum ſuperbia.*

Regum

Regum Superbia. Cap. I.

OPPEREPRETIVM *cenſeo, prohemij loco, commemorare ea, quæ de ſuperbia, quantum ad inſtitutum noſtrum ſpectat, Eccleſiaſticus ſcribit, Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſsit cor eius; quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem. propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, & deſtruxit eos, vſque in finem. Sedes Ducum Superborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus. memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu. ſubſtantia ſuperbi eradicabitur. In eandem ſententiam cecinit ſanctiſsima Christi parens, Fecit potentiam in brachio ſuo; diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Eccl. 10. Eccl. 21. Luc. 1.

Babylon.

A*Pud Ieremiam Dominus Babyloni exitium, atque interitum minitatur, propterea quod præteritarum victoriarum magnitudine, quaſi ſuis viribus illas conſequuta eſſet, inſolenter inflata, tantum ſibi aſſumpſerat, atque arrogarat, vt in ipſum etiam Deum, incredibili ſuperbia, intolerantiaq; inſultare videretur. Quam ob cauſam, hæc per Sanctiſsimum Prophetam, ait Dominus. Ecce ego ſuſcitabo ſuper Babylonem, & ſuper habitatores eius, qui cor ſuum leuauerunt contra me, quaſi ventum peſtilentem. toto deinceps fere capite deſcribit genus, & magnitudinem pœnarum, quas Babyloniorum contumaciæ, arrogantiæq; conſtituerat.* Ier. 51.

Tyrus.

T*Yrus Phæniciæ vrbs, ſitus opportunitate, opum magnitudine, mercatorum frequentia, cæteriſq; rebus, quæ ab Eze-*

 chiele

chiele ornatiſſimè explicantur, præſtantiſſima, funditus corruit: propter intolerabilem ſuperbiam, atque elationem. Concitauit enim in eam Deus Nabuchodonoſorem, Regem Babylonis. cuius milites agrum Tyriorum euaſtarunt, mœnia ſolo æquarunt, domos incenderunt, opes diripuerunt, virgines, matronasq́; ludibrio habuerunt, viros partim ferro confecerunt, partim in miſerrimam ſeruitutem abduxerunt. Tantarum porrò calamitatũ cauſam fuiſſe
Ezech. 27. 28. *ſuperbiam, teſtatur, luculentiſſimis verbis, ipſemet Deus. Fili hominis, dic Principi Tyri: hæc dicit Dominus Deus. Eò, quod eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi, in corde maris, cum ſis homo, & non Deus, & dediſti cor tuum, quaſi cor Dei, propterea, hæc dicit Dominus Deus, eò quod eleuatum eſt cor tuum, quaſi cor Dei, iccirco ego adducam alienos robuſtiſſimos gentium: & nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. &c.*

Pharao Rex Aegypti.

AD comprimendum Pharaonis animum, rerum omnium affluentia, atque vbertate inflatum, Deus Aſſyriorum Regem in Aegyptum adduxit, qui vrbes copioſiſſimas exinaniuit; regnum florentiſſimum ferro, igni, prædæ expoſuit: oppidis ſolitudinem pro frequentia, vaſtitatem, pro celebritate, intulit. gentem in omnes Aſiæ regiones, ad ſeruitutem, diſperſit; Regem
Ezech. 29. *omnibus dignitatis ornamentis ſpoliauit. Quæ autem fuerit cauſa tantarum miſeriarum, ex ipſius Dei ore, diſcamus. Hæc dicit Dominus, Ecce ego ad te Pharao, Rex Aegypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus eſt fluuius, & ego feci memet ipſum, Ponam frænum in maxillis tuis. &c.*

Idem.

QVantum in odium, offenſionemq́; Dei, reges propter animi
Ezech. 32. *elationem, inſolentiamq́; incurrant, eiuſdem Pharaonis exitium alibi, Dei verbis, expreſſum, docet. Leoni, inquit, gentium aſſimilatus es, & Draconi, qui eſt in mari, & ventilabas*

cornu

cornu in fluminibus, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum. Propterea hæc dicit Dominus Deus. Expandam ſuper te rete meum, in multitudine populorum multorum, & extraham te, in ſagena mea, & proÿciam te in terram; ſuper faciem agri abÿciam te, & habitare faciam, ſuper te, omnia volatilia cæli, & ſaturabo, de te, beſtias vniuerſæ terræ.

Aſſur.

HVnc, cum, potentia, atque opum, quibus vndique circumfluebat, magnitudine, cæteros mortales antecederet, ex altiſſimo, atque ampliſſimo dignitatis gradu, animi impotentia, atque intoleranda ferocia deturbauit. quam quidem, ruinæ cauſam fuiſſe docet ipſemet Deus. Pro eo, quod ſublimatus eſt in altitudine, & dedit ſummitatem ſuam virentem, atque condenſam, & eleuatum eſt cor eius in altitudine ſua, tradidi eum in manus fortiſſimi gentium, faciens faciet ei. Ezech. 31.

Nabuchodonoſor, Balſaſar.

NAbuchodonoſor, quod ſe nimium efferret, atque imperÿ opulentiſſimi magnitudine turgeret intemperanter, & Dei, à quo bona omnia procedunt, oblitus, gloriam illi debitam, ſibi impudentiſſimè arrogaret, & in eodem vitio, tanquam luto, hæreret Balſaſar, eius filius, ille quidem, & è regno, & ex hominum ſocietate eiectus eſt; hic verò à Medis occiſus. Quando eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria eius ablata eſt, & à filÿs hominum eiectus eſt, ſed & cor eius, cum beſtÿs, poſitum eſt. Dan. 4. Dan. 5.

Edom.

Edom.

Abdiæ 1. *HAnc gentem, ſuperbia elatam, ita Abdias alloquitur. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarũ, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo, Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila; & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus.*

Moab. Ammon. Aſſur.

HIs exitium, propter ſuperbiam, Sophonias intentat. Audiui opprobrium Moab, & blaſphemias filiorum Ammon, quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati ſunt, ſuper terminos eorum. Propterea viuo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael, Quia Moab, vt Sodoma, erit, & filij Ammon, quaſi Gomorrha; ſiccitas ſpinarum, & acerui ſalis, & deſertum, vſque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, & reſidui gentis meæ poßidebunt illos. Hoc eis eueniet pro ſuperbia ſua: quia blaſphemauerunt, & magnificati ſunt ſuper populũ Domini exercituum. Horribilis Dominus ſuper eos. & extendet manum ſuam ſuper Aquilonem, & perdet Aſſur, & ponet ſpecioſam in ſolitudinem, & in inuium, & quaſi deſertum. & accubabunt in medio eius greges, omnes beſtiæ gentium.

Moab.

Ierem. 48. *DE huius gentis ſuperbia, ita Ieremias. Audiuimus ſuperbiam Moab. (ſuperbus eſt valde.) & ſublimitatem eius, & arrogantiam, & ſuperbiam, & altitudinem cordis eius. Ego ſcio, ait Dominus, iactantiam eius, & quod non ſit, iuxta eam, virtus eius; nec iuxta quod poterat, conata ſit facere. ideo ſuper Moab eiulabo. & C.*

Idumæa.

IDumæorum gentem, hoc ipſum vitium, de quo loquimur, euertit: ita enim eam alloquitur Dominus. Arrogantia tua decepit

pit te, & ſuperbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & aprahendere niteris altitudinem collis. Cum exaltaueris, quaſi aquila, nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus, & erit Idumæa deſerta: omnis, qui tranſibit per eam ſtupebit, & ſibilabit ſuper omnes plagas eius. Ierem. 49.

Antiochus.

HIc, intolerabili ſuperbia, elatus, loquutus eſt, ſe venturum Ieroſolymam, & congeriem ſepulchri Iudæorum eam facturum. quapropter, qui vniuerſa conſpicit, Dominus Deus Iſrael, percuſſit eum inſanabili, & inuiſibili plaga. Vt enim finiuit hunc ipſum ſermonem, aprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta. Quibus horribiliter excruciatus, vermibus toto corpore erumpentibus, animam egit. 2. Mach. 9.

Arphaxad.

ARphaxad Rex Medorum, multis, magnisq́; victorijs partis, vrbe ampliſſima, munitiſſimaq́; ædificata, gloriabatur quaſi potens in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum, ergo Nabuchodonoſor eum, Deo mouente, aggreſſus, ingenti prælio ſuperauit, in campo magno, qui appellatur Ragau. Iudith. 1.

Herodes Iudeæ Rex.

HIc, vt in actis Apoſtolorum ſcriptum eſt, cum argentea veſte ornatiſſimè indutus ad populum Hieroſolymitanum ſumma cum omnium admiratione concionaretur; populusq́; acclamaſſet, Dei, non hominis voces ſe audire: confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo. cumque vermibus toto corpore graſſantibus, neque ille dolorem perferre, neque familiares fætorem ſuſtinere poſſent, ad eos conuerſus, en ille, inquit, quem vos Deum appellaſtis. Actor. 12

Ve-

Veneti.

HI, cum ciuitatis frequentiam, & ſplendorem, opum magnitudinem, & potentiam, lectiſsimarum fœminarum ornatum, atque elegantiam HENRICO *Galliæ Regi, magno apparatu oſtentaßent, graues, intra paucos menſes, ſuperbiæ, atque oſtentationis pœnas dederunt. nam & ignis, incendijs in ipſo mercatu excitatis, magnas opes abſumpſit, & peſtilentia horribilis, infinita hominum ſtrage, frequentiam in ſolitudinem, lætitiam in luctum vertit; totam denique vrbem, ditionemq́; Venetam afflixit, deformauit, ac penè euertit.*

Fiducia ſuarum virium. Cap. II.

VERE Illud eſt à Dauide dictum, Non ſaluatur Rex per multam virtutem; & Gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. fallax equus ad ſalutem; in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur. Cum enim humana omnia, tenui (vt neſcio quis Poeta inquit) filo, pendeant; qui ijs nitatur, diu florere non poteſt, & hoc quidem natura ipſa, & vſus rerum docet. Ex diuinis autem litteris illud etiam, quod multò pluris faciendum eſt, diſcimus, eos qui humano præſidio, præcipuè autem viribus, atque opibus ſuis, nitantur, Deo immortali, cuius poteſtate omnia continentur, odio eſſe. Maledictus enim, qui confidit in homine.

Goliath.

1. Reg. 17. *HVnc robore penè immenſo, corpore immani præditum; armis quocum genere ſuo, tum magnitudine terribilibus, præſidentem, & de viribus ſuis intoleranter gloriantem, atque vniuerſum Saulis exercitum ſuperbiſsimè laceſſentem, Deus, per Dauidem, ætate adoleſcentem, exercitatione Paſtorem, inermem, ac*

penè nudum, ictu lapidis, deiecit; deiectum ipſiuſmet gladio interfecit; omniumq́ ludibrijs, atque irriſionibus hominis temeritatem, & furorem expoſuit.

Dauid.

At hic ipſe, Dauid, cum populum numerari, cenſeriq́ iuſsiſſet: innumerabilis penè hominum ad arma, remque militarem idoneorum vis, & multitudo, magnam ei potentiæ ſuæ fiduciam videtur attuliſſe; quam quidem, nullam eſſe vt intelligeret; maleq́ fundatam, exorta repente, Dei nutu, peſtilentia ſeptuaginta hominum millia confecit. 2. Reg. 24.

Ezechias.

In Deuteronomio Deus vetat Regem habere auri, atque argenti magna pondera, puto ne, his nimium confidens, cæleſte præſidium contemneret; aut præ ſuis opibus parui faceret. Hoc cum parum attendiſſet, atque obſeruaſſet Ezechias, atque opum ſuarum aceruos ingentes Aſſyriorum Regis legatis oſtentaſſet, Deus ei per Prophetam denunciauit, eas omnes diuitias hoſtibus ſuis prędæ futuras eſſe. Deut. 17. 4. Reg. 20.

Amaſias Rex Iudæ.

Hic bellum geſturus, pręter milites, quos, ex delectibus regni ſui, coegerat; centum millia ex Iſraele, magna mercede, conduxit. Tum, ei obuiam factus eſt Propheta quidam, qui diuino ſpiritu afflatus, ita eſt eum alloquutus; O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Iſrael; non eſt enim Dominus cum Iſraele, & cunctis filijs Ephraim. Quod ſi putas, in robore exercitus, bella conſiſtere: ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus. Dei quippe eſt, & adiuuare, & in fugam conuertere. 2. Par. 25.

Rex Aſſyriorum.

HVic Dominus Deus multas, & maximas gentes, ob ipſarum ſcelera, ſubiecit, totumq́ penè terrarum orbem, eius armorum terrore, concuſſit. opulentiſſimas vrbes expugnauit, ampliſſima regna ſubuertit, plurimas nationes, omnium rerum copijs abundantes, perdomuit. In primis autem Deus Iudæorum gentem ei debellandam, & in duriſſimam ſeruitutem abducendam tradidit. Id ille, non diuino numini, in cuius manu eſt bellum, & pax, ſed ſapientiæ, & armis ſuis, quorum ſummam fiduciam habebat, acceptum retulit.
Eſa. 10. *Dixit enim, in fortitudine manus mea feci, & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum, & Principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes &c. Quare Deus, vehementer offenſus, in hæc verba minarum, & indignationis plena, prorupit. Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur? quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui vtique lignum eſt. Propter hoc mittet dominator Dominus, Deus exercituum, in pinguibus eius, tenuitatem, & ſubtus gloriam eius, ſuccenſa ardebit, quaſi combuſtio ignis &c. Quo ex loco intelligitur, Reges, atque exercituum Duces, nihil eſſe aliud, niſi ſecures, & ſerras, & baculos, quos Dominus nunc deprimit, nunc ſublimè effert.*

Moab.

AD hunc populum, locorum, quæ incolebat, firmitati confidentem, ita loquitur Deus, per Ieremiam.
Ierem. 48. *Pro eo quòd habuiſti fiduciam in munitionibus tuis, & in theſauris tuis, tu quoque capieris.*

Ammon.

Ierem 49. *HAnc gentem, conſimili ſcelere obſtrictam, ita Deus, apud eundem Prophetam, alloquitur. Quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in theſauris tuis,*

tuis, & dicebas, Quis venit ad me? Ecce ego inducam, ſuper te, terrorem, ait Dominus, Deus exercituum, ab omnibus, qui ſunt in circuitu tuo, & diſpergemini ſinguli à conſpectu veſtro, nec erit qui congreget fugientes.

Iudæi.

HI, cum Aſſyriorum arma vehementer pertimeſcerent, diuinæ bonitatis obliti, Pharaonis, atque Aegyptiorum opem implorandam, atque expectandam ſibi eſſe ſtatuerunt. quam ob cauſam, ita eos inſectatur. Væ deſertores (ait Dominus) vt faceretis conſilium, & non ex me. & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum qui ambulatis, vt deſcendatis in Aegyptum: & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam. Omnes confuſi ſunt ſuper populo, qui eis prodeſſe non potuit. Non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem: Aegiptus enim fruſtra, & vanè auxiliabitur. Iſa. 30.

Quo in loco, vir ſapientiſſimus potentiam Aegypti vmbram vocat, ad exprimendam opum humanarum inanitatem. vt enim vmbra nihil habet ſolidum, nihil expreſſum. ita mortalium potentia, nihil ſtabile, nihil firmum: vt vmbra, cum ad ſummum peruenit, tum citiſſimè euaneſcit: ita opum magnitudo, cum altiſſimè prouecta eſt, tum ad interitum maximè appropinquat. vt illa fugit eos, qui ipſam conſectantur, ita hæc fallit eos, qui in ipſa ſpem, ac præſidium collocant fortunarum ſuarum.

Impietas, idololatria, hæreſis. Cap. III.

HVC, in vnum locum hæc conferrnda duximus, propterea quod idolorum cultus, & hæreſum prauitas ipſiſſima ſit impietas. atque illud quidem, primo loco ſtatuendum

dum eſt, impietate nullam eſſe maiorem Rerump. & Regnorum peſtem. nam cùm nulla ſit ſtabilis, ac firma Imperij conſeruandi, tuendiq́; fiducia, nulla ratio, præter eum, quæ ex diuina bonitate, clementiaq́; pendet; quæ poteſt eſſe impijs diuini patrocinij ſpes? quæ fiducia cæleſtis tutelæ? nam ſi peccatores, cuiuſque modi illi ſint,
Pro. 2. *non exaudit Deus; quantò minus impios, & in eius Maieſtatem*
Pro. 14. *directò iniurioſos? impij de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea. Domus impiorum delebitur.*

Ex Iob.

NOn poteſt hic locus elegantius explicari, quam eſt à Baldado ſuhite, apud Iob, explicatus. eius hæc ſunt verba.
Nonne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma eius? lux
Iob. 18. *obtenebreſces in tabernaculo illius: & lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur. Arctabuntur greſſus virtutis eius, & præcipitabit eum conſilium ſuum. Immiſit enim in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis. Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius, ſuper ſemitam. Vndiq́; terrebunt eum formidines, & inuoluent eum pedes eius. Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat coſtas illius. Deuoret pulchritudinem cutis illius: conſumat brachia illius primogenita mors. Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius, & calcet ſuper eum, quaſi Rex, interitus. Habitent in tabernaculo illius ſocij eius, qui non eſt; aſpergatur in tabernaculo eius ſulphur. Deorſum radices eius ſiccentur; ſurſum autem atteratur meſsis eius. memoria eius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis. Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum. Non erit ſemen eius; neque progenies in populo ſuo, nec vlla reliquiæ in regionibus eius. Hæc ſunt ergo tabernacula iniqui, & iſte locus eius, qui ignorat Deum. & in alio lo-*
Iob. 8. *co idem Baldadus. Nunquid viuere poteſt ſcirpus abſque humore, aut creſcere carectum abſque aqua? Cum adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcet: ſic viæ omnium qui obliuiſcuntur Deum, & ſpes hypocritæ peribit. Non ei placebit vecordia ſua, & ſicut tela aranearum fiducia eius. Innitetur*

ſuper

ſuper domum ſuam, & non ſtabit: fulciet eam, & non conſurget. Qui oderunt te, induentur confuſione: & tabernaculum impiorum non ſubſiſtet.

Idololatria. Cap. IIII.

Iudæi.

IVDEI, *propter idololatriam, nunc à Rege Meſopotamiæ, Dei permiſſu, oppreſſi ſunt; nunc à filijs Ammon, aut Moab, nunc à Philiſtheis, aut Madianitis, nunc à Syris, alijſque nationibus, aut bello domiti, aut ſub imperium redacti; aut etiam in exteras regiones abducti ſunt ad miſerrimam, & morte acerbiorem ſeruitutem; cuius rei cauſam luculenter explicatam habes in quarto libro Regum, capite decimo ſeptimo.* Iud. 3. 4. Reg. 17.

Iudæorum plerique Reges.

I*Eroboam, & ipſius ſtirps, propter idolorum cultum deteſtabilem, non ſolum regnum amiſit, ſed etiam funditus, diuino nutu, interijt. Salomonis filio, poſteriſq́, regnum, propter eandem cauſam, ad duas tribus (cum duodecim ante tribus complecteretur) redactum eſt; ipſi auctoritas, Ieroboam aduerſus eum ſuſcitato, imminuta. Baaſæ domus à Zambri deletur: Phaceia interficitur. Oſee Aſſyriorum Regi traditus eſt in ſeruitutem. Manaſſes ipſam ſeruitutem, in teterrimum carcerem coniectus, ſeruiuit. Amnon à domeſticis interficitur. Ioachal capitur, & in Aegyptum vinctus abducitur. Ioacin à Babylonijs ſeruitute opprimitur; à Syris male habetur. Ioachim à Nabuchodonoſore capitur, & in Aſſyriam vinctus abducitur. Sedeciæ filij interficiuntur; ipſi oculi eruuntur. regnum euertitur, propter idololatriam. Saul quia Pythoniſſam, Ochozias quia Beelzebubum conſuluit, ille à Philiſtheis acie victus, ſibi, ſalutis diſperatione, manus attulit: hic, morbo confectus, interijt.*

3. Reg. 3. 3. Reg. 11. 3. Reg. 16. 4. Reg. 15. 17. 4. Reg. 21. 4. Reg. 23. 4. Reg. 24. 4. Reg. 24. 4 Reg. 25. 2. Par. 10. 4. Reg. 1.

Chananei.

Deut. 9. CHananeos, propter impietatem fuiſſe deletos diſcimus ex Deuteronomio ita enim ibi gentem Hebream alloquitur Moſes. Ne dicas, in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo. Propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc poſſiderem, cum, propter impietates ſuas, iſtæ deletæ ſint nationes. neque enim propter iuſtitias tuas, & æquitatem cordis tui, ingrederis vt poſſideas terram earum. ſed quia illæ egerunt impiè, introeunte te, deletæ ſunt.

Imperatores plerique Romani.

ROmani Principes, qui Chriſtianam pietatem oppugnarunt, omnes vel ferro, vel veneno, vel genere mortis horribili præter Traianum, & Seuerum, è medio ſublati ſunt. hi duo ſoli, morbo, perierunt, Traianus quidem, fortaſſe quoniam edictum, quòd in Chriſtianos tulerat, reuocauit; Seuerus, vt fides diuinæ iuſtitiæ locum haberet. reliqui omnes variè vel multitudinis furore, vel militum impetu, vel familiarium dolo, vel hoſtium inſidijs, aut vi, excruciati, interfectiq́; ſunt. Domitius Nero, qui, primus Romanorum Principum, Chriſti nomen inſectatus eſt, & Chriſtianorum ſanguinem, Principibus Apoſtolorum occiſis, exorbuit, hoſtis à Senatu iudicatus, ſibi ipſi necem, iuuante Epaphodito à libellis, conſciuit. Domitianus à ſuis cubicularijs ſeptem vulneribus contrucidatus eſt. Commodo, Lætus Prætorij præfectus, & Martia eius concubina ceruices fregerunt. Antonius Caracalla, Seueri filius, Carris militum conſpiratione, perijt. Varius Heliogabalus primum in cloacam, deinde in Tyberim proiectus eſt. Iulium Maximinum, cum filio, milites ad Aquileiam, interfecerunt. Decius à Gothis acie victus, & cum toto exercitu, cæſus eſt. Valerianus à Sapore, Perſarum Rege, acie victus, & captus, ipſam ſeruitutem ſeruiuit. Sub Gallieno, Imperium à triginta Tyrannis diſtractum, conuulſumq́; eſt; ipſe Aureoli inſidijs interficitur. Aurelianus domeſticorum ſuorum fraude occiditur. Maximianus Maſſiliæ captus, Conſtantij iuſſu, necatur. Diocletianus

ad amentiam redactus, veneno hauſto, ſibÿpſi mortem attulit. Maximianus alter, Licinij Collega, vlcere inguinibus innato, cum deeſſent remedia, vermibus vndiquè, cum intolerabili dolore, erumpentibus, crudelitatis in Chriſtianos ſerò pœnitens, extinctus eſt. Licinius, à Conſtantino non ſemel prælio victus, tandem, etiam contra Sacramenti fidem, è medio ſublatus eſt; Iulianus, cum idololatriam, atque impietatem, iam penè extinctam, renouare contenderet, in Perſica expeditione, vel conto traiectus, vel ſagitta, è cælo miſſa, vt non nemo ſcribit, confixus impietatis pœnas dedit.

Hæreſis. Cap. V.

NVLLA maior Reip. pernicies. regna de ſtatu, Reges de Solio deturbat. legibus peſtem, Ciuitatibus exitium affert. nihil intactum, nihil omnino intentatum relinquit. bella vbique, & ſeditiones, quaſi furia quædam immanis, concitat. nulla eſt domus tam ſtabilis, nulla ciuitas tam firma, quam non tumultibus concutiat, diſcordÿsq; conuellat. multitudinem in Principes inſtruit, liberos in parentes armat. temeritate, & furore inflammata in optimum quemque bacchatur. cælum ipſum ſtultitia petit. &, quoniam Deum è cæleſti regno deturbare ſe poſſe deſperat, è templis, atque aris, quas ei maiorum noſtrorum pietas erexit, exterminare contendit. Sed nulli pernicioſior eſt, quàm ſibi, quantum ſit in Hæreſi malum, ÿ ante omnes experiuntur, qui eam peſtem vel ipſi pepererunt, vel ab alÿs partam aluerunt. præcipuè verò Regibus, atque Imperatoribus exitio fuit.

Imperatores Conſtantinopolitani.

EX ÿs Imperatoribus, qui hæreſum impietatem ſequuti, eius patrocinium ſuſceperunt, pauci admodum vel potiùs nulli, non grauiſsimas pœnas, etiam in hac vita, dederunt, aut Imperÿ amiſsione, aut magnis belli offenſionibus, aut genere mortis horribili.

Va-

Valens dum ſe Arrianę impietatis patronum præbet, acie à Scythis victus, Imperium, vitamq́; amiſit, igne in tugurium, quo ſe ex fuga receperat, iniecto.

Anaſtaſius Eutichetis ſectator fuit. ſub eius Imperio, Saraceni Syriam infeſtam habuerunt, Bulgari Thraciam; multi, varijs locis, tyrannidem occuparunt. ipſe fulmine ictus impietatis pœnas dedit.

Heraclius, poſt glorioſiſſimam illam victoriam, in Monothelitarum hæreſim lapſus eſt. ab eo tempore, hoſtibus contemptui eſſe cœpit. Saraceni Syriam, Pheniciam, Aegyptum occuparunt. ipſe primum hydropiſi, deinde nouo morbi genere affectus eſt, quo virile membrum ita ei ſemper diſtentum erat, vt quoties meieret, vultum reſpergeret; niſi obiectu tabulæ, id prohibuiſſet. eoque morbo confectus extremum vitæ diem confecit.

Conſtans Monothelitas ſequutus eſt. quarè nihil ab eo proſperè in Imperio geſtum eſt. Saraceni claſſe, Longobardi terreſtri eum prælio deuicerunt. tandem à ſuis in Sicilia trucidatus eſt.

Iuſtinianus iunior ſextam Synodum conuellere, atque abrogare tentauit: quapropter & foris, primum ab Arabibus, deinde à Bulgaris magnis cladibus afficitur: & domi Imperio ſpoliatur, & naribus mutilatur, & in exilium Cherſonam pellitur. Deinde verò, cum, Trebellio, Bulgarorum Rege, adiuuante, reſtitutus fuiſſet, à Philippico quodam non Imperio tantùm, ſed etiam vita orbatus, pœnam, ſuam dignam impietate, ſuſcepit.

Philippicus Bardanes imagines coli vetuit, & ſextam ſynodum altera ſynodo infirmare conatus eſt. quis ergo dubitet eum iccirco à Bulgaris male habitum fuiſſe, & à ſuis oculis orbatum, atque Imperio deiectum?

Leo Iſaurus eodem ſcelere obſtrictus fuit. eo imperante, Saraceni Conſtantinopolim triennium obſederunt; peſtilentia CCC. Conſtantinopolitanorum ciuium millia confecit. vrbis mœnia, itemq́; Thraciam, atque Bythiniam ingens terræmotus quatefecit, atque diſturbauit.

Conſtantinus Copronymus paternæ impietatis hæres, Diuorum imaginibus, & oſſibus bellum indixit. in cuius rei pœnam (quantum

tum homini iudicare fas eſt) in ponto Euxino bis mille ferè naues naufragio amiſit, quas in Bulgaros armauerat, atq; inſtruxerat. Longobardi Hexarchatum occuparunt. Galli magnos progreſſus in Italia fecerunt. ipſe, dũ in Bulgaros bellum gerit, elephantiaſi horribiliter excruciatus interijt. Leo huius filius, propter impietatem, patre nihil felicior fuit. ſed de eo alibi.

Leo Armenius, Diuorum imaginibus item infeſtus, à Michaele Traulo, quem ille in vincula coniecerat, interficitur.

Michael Traulus, dum imaginibus bellum indicit, ipſe à Saracenis bis profligatur, creta amiſſa.

Theophilus eius filius, dũ in eadem impietate haret, bis à Saracenis acie ſuperatur, caſtriſq́; exuitur. demum, diſenteria grauiſſimè excruciatus, interijt.

Anathema. Cap. VI.

SVB impietatis titulum ſubijciendi uidentur, qui Anathematis notam, diraſq́; Pontificias contẽpſerunt. qua enim maior impietas, quàm committere, ut dignus habearis, qui, & horendis execrationibus deuinciare, & ſacris, rerumq́; omnium communione prohibeare? dignus, cuius aditũ ſermonemq́; omnes defugiant, ne quid ex contagione, incommodi accipiant; dignus, cui neque petenti ius reddatur neque honos ullos communicetur? Certè apud Druidas olim in Gallia, quibus erat ſacrificijs interdictum; (ſolebant enim illi etiam hiſce veluti laqueis hominum facinoroſorum contumaciam irretire, atque conſtingere) ij numero impiorum, ac ſceleratorum habebantur. nullam cum ijs uita, nullam offitiorum ſocietatem coibant. hominum conſpectu, & lucis uſura indignos cenſebant. auerſabantur homines, deteſtabantur, execrabantur. Quòd ſi diræ execrationes, etiam nulla tua culpa, in te adhibitæ, contemni non debent, quanto minus eæ, quibus es iure illigatus, & tuo merito, deuinctus? Ego quidem nullam calamitoſiorem peſtem, nullam perniciem maiorem homini chriſtiano accidere poſſe cenſeo. ſed ut fulminum tactus ſtrageſq́; ab ijs aditæ, clarius in

magnis,altiſque turribus apparent; ita anathematis quaſi fulmen grauius reges, principesq; uiros, quàm priuatos homines affligit,atque proſternit.

Eudoxia Imperatrix.

GEorgius Scholaris, qui pro Concilio Tridentino græcè ſcripſit,narrat, diſtricto in Eudoxiam ab Innocentio primo, propter iniuriam Ioanni Chriſoſtomo illatam, anathemate,eius mortuæ ſepulchrum tremere non deſtitiſſe,donec Roma aduenit abſolutiò.

Philippicus Bardanes. Leo III.

PHilippicus à Conſtantino Pontifice,quòd ſacras imagines abolere conaretur,ſacris interdictus,à Bulgaris,qui in Thraciam impetum fecerunt,eamque præda,nullo prohibente,habuerunt, inſignem ignominiæ notam accepit,& ab Anthemio oculis orbatus,atque imperio ſpoliatus eſt.

Leo I I I. Sacris à Gregorio II. interdictus omnium calamitoſiſſimè bello fame, peſtilentia,terremotibus afflictus, imperauit,ut alibi oſtenſum eſt.

Imperatores Germani.

HEnricus IIII.primus Occidentis Imperatorum ſacris interdictus fuit,nec verò impunè,ab Henrico enim filio captus,& in uincula Leodij coniectus, pædore carceris confectus interijt.

Otho IIII. quòd Pontificiam ditionem inuadere conaretur, diris,execrationibusq; Pontificijs irretitus, imperij titulis, Federico ſuffecto,priuatur. nec multò poſt cum Philippo Galliæ rege,ſignis collatis cõgreſſus, uincitur, atque ingenti ſtrage profligatur. Rurſum,cum ſe commouiſſet, Federici armis oppreſſus, reliquam uitam nulla dignitate traduxit.

Federicus II.ab Innocentio,propter perturbatam iuriſdictio-

nem

nem Eccleſiaſticam, diris conſtrictus, magna Italiæ parte in eum conſpirante, Parmam amiſit; quam recuperare conatus, à Montelongo, Pontificis legato, eruptione uincitur, exercitu, omnibuſq; impedimentis exuitur. inde, Manfredi Filij nothi dolo, ſtrangulatur. nec in ipſo impietatis pœna hæſit: ſed ad filios, nepoteſq; permanauit. nam Manfredus Conradum Fratrem interfecit, Manfredum uerò Carolus Andegauenſis, idemque Conradinum Conradi filium, Federici nepotem, acie uictum, & captum Neapoli ſecuri percuſſit.

Ludouicus Bauarus à Ioanne XXII. ſacris interdictus, eò quòd ſe, citra ipſius aſſenſum, Imperatorem appellarat; nihil aliud, dum imperauit, niſi amicos euertit, & diſcordias ſeuit, & perturbatiſsimè, ut furijs agi appareret, uixit.

Aripertus Galliæ rex.

ARipertus, Clotharij filius, pellicum amore obcæcatus, uxorem miſſam fecit: monitus ſæpe à D. Germano Pariſienſium Epiſcopo, cum non reſipiſceret, ſacris tandem interdicitur: nec multo poſt, è vita nulla relicta ſobole, excedit.

Ludouicus XII. Galliæ Rex.

HIc poſtquam, ob Eſtenſium, & Bentiuolorum & Concilij Piſani patrocinium à Iulio II. Sacris interdictus fuit, ſe, & ſuos penè perdidit. omnia in ipſum coniuraſſe uiſa ſunt. nam Oceanus inaudita tempeſtate, claſſem ipſius ornatiſsimam partim demerſit, partim grauiſsimè afflixit, inutilemq; reddidit. Henricus Britanniæ Rex Tornacum, urbem ampliſsimam, expugnauit. Heluetij Diuionum, oppidum Sequanorum vehementiſſimè oppugnarunt. neque niſi, duriſsimis conditionibus Regi impoſitis, inde receſſerunt. Reges Nauarræ, & Scotiæ, eius ſocij, grauiſsimas calamitates, & clades acceperunt. ille enim ab Hiſpanis regno, hic ab Anglis uita ſpoliatus eſt. ipſe Mediolanum amiſit. Hiſce malis tandem fractus, Regina enixè orante, Regno obteſtante, cum Pontifice in gratiam rediji.

Veneti.

HI etiam, cum initio Pontificatus Iulij II. Fauentiam oppidum Flaminiæ, & nonnulla alia Eccleſiaſtica ditionis loca, occupaſſent; Pontificisq; monitiones atque auctoritatem neglexiſſent, ſacris interdicti ſummum non imperij ſolum, & dignitatis, ſed etiam libertatis, ac ſalutis periculum adierunt. nam acie uicti ad Abduam à Ludouico XII. Gallorum Rege, non tam hoſtium uiribus, quàm ſuorum uitio, totam penè continentem amiſerunt. nulla in militibus virtus, in ducibus auctoritas fuit. omnia Reip. loca Gallis, Germanis, Hiſpanis, Ferrarienſibus, Pontificijs militibus prædæ fuerunt. tanta dignitatis, & fortunarum iactura edocti Pontifici ſupplices fuerunt. venia impetrata atque interdicto ſoluti, omnia fere quæ in gallia Tranſpedana poſſederant, recuperarunt.

Sacerdotum, & Eccleſiæ contemptus. Cap. VII.

SACERDOTVM contemptus Dei contemptus eſt, uel ipſomet Deo teſte. eius ad Samuelem uerba ſunt hæc, cum, eo repudiato, Iudæi Regem ſibi dari uoluerunt. Non te, inquit, ſpreuerunt, ſed me. Et Chriſtus Dominus, Qui uos, inquit, ſpernit, me ſpernit.

Saul.

1. Reg. 13. *SAul, contra quam Samuel præſcripſerat, uictimas ante eius aduentum, neceſsitate, ut ipſe dictitabat, compulſus, immolauit. cui Samuel, Stultè, ait, egiſti, nec cuſtodiſti mandata domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quòd ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum, ſuper Iſrael, in ſempiternum: ſed nequaquam regnum tuum ultra conſurget. quo in loco, non eſt prætereundum, Samuelem uocare mandatum ſuum, manda-*

tum Dei, ut ex eo intelligamus, verba Sacerdotum, Dei eſſe verba. Qua de cauſa dixit Chriſtus Apoſtolis, Qui uos audit, me audit. & Paulus Apoſtolus magnopere Theſſalonicenſes laudat, quòd prædicationem ſuam excepiſſent, non ut verbum hominum, ſed ſicut verè erat, uerbum Dei. ſunt enim Sacerdotes diuinæ uoluntatis interpretes.

Idem.

NOn ſemel Samuelis præcepta Saul contempſit. iterum enim, cum Samuel, Dei nomine, præcepiſſet, ut in Amalecitas bellum gereret, Vrbes euerteret, facultates incenderet, pecora hominesq; ad unum interficeret ille, victoria abuſus, optima quæque ſeruauit, Agago regi uitam conceſsit, omnia denique, non ex Samuelis præſcripto, ſed pro animi ſui libidine, adminiſtrauit. quapropter, hæc ad eum Samuel loquutus eſt. Pro eo quòd abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex. 1. Reg. 15.

Ozias Hieroſolymæ Rex.

OZias, in eo Sacerdotum dignitatem uiolauit, auctoritatemq; contempſit, quòd ipſorum munere defungi, ac thura incendere conatus eſt. non impunè. nam, continuò, elephantiaſi diuinitus oppreſſum uehementerq; exterritum, Azarias Pontifex, atque alij templo expulerunt. hac tam graui pœna factum eſt, ut non tantū ſacris muneribus prohiberetur, uerum etiam regni adminiſtrationem alteri demandare cogeretur. ita dum alienum munus inuadit, etiam ſuo ſpoliatur, & dum Sacerdotis perſonam induit, neque illam ſuſtinuit, & regiam exuere coactus eſt. Ita enim ſcriptum eſt. Fuit igitur Ozias rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ, & habitauit in domo ſeparata, plenus lepra ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Porrò Ioathan filius eius rexit domum regis, & iudicabat populum terræ. 2. Par. 26.

Edui-

Eduinus Britanniæ Rex.

Hic, quòd Dunſtanum Abbatem, virum ſanctiſſimum, atque optimum, Alcinæ pellicis ſuaſu, atque hortatu, (ob eius enim conſuetudinem grauiſsimè à Dunſtano reprahendebatur) ſolum vertere, atque exulare iuſsiſſet, ipſe regno à ſuis pulſus eſt; Deo illatam homini religioſiſſimo iniuriam vlciſcente.

Charthaginenſes.

Saluianus Epiſcopus Maſsiliæ ſcribit, in extremo libro de prouidentia, Carthaginenſes in Vandalorum poteſtatem tráditos, diuinô nutu, fuiſſe, eam potiſsimum ob cauſam, quòd Sacerdotes, & homines Eccleſiaſticos ludibrio, & deſpectui haberent.

Federicus Aenobarbus.

Federicus Alexandro III. ſummam per iniuriam, inimicus, atque infeſtus fuit. tandem, malis edoctus, animi immanitatem, impietatemq; exuit. nam & complures Italiæ vrbes eum deſeruerunt, & Mediolanenſes prælio ſuperarunt. demum, gratia quoquomodò reconciliata, in Aſiam profectus, magnum Saladino, & Turcarum Principibus terrorem dicitur, aduentu ſuo, intuliſſe: ſed, non ita multò poſt, amnem, lauationis cauſa, ingreſſus, periÿt. exercitus, amiſſo Imperatore, in Europam inglorius rediÿt. Non videtur Deus probaſſe eius acta, conatuſq; contra hoſtes nominis Chriſtiani, qui tam impiè ſuum in terris Vicarium armis perſequutus eſſet.

Conſtans II. Iuſtinianus II.

Conſtans, Martinum Pont. Max. comprahenſum, exilio, in quo ille periÿt, affecit. Iuſtinianus Sergium item Pont. comprahendi iuſsit, atque infeſtiſsimo animo perſequutus eſt. hi quem vitæ, atque Imperiÿ exitum habuerint, alibi demonſtratum eſt.

Hen-

Henricus III. Otho IV. Federicus II. Ludouicus Bauarus.

Horum etiam, qui Romanis Pont. hoſtes ſeſe præbuerunt, exitus alibi, cum de ijs ageremus, qui ſacris interdicti ſunt, demonſtrauimus.

Imperatores Orientis.

Præter ea, quæ de nonnullis Imperatoribus, ſingillatim, ſupra oſtendi: hic vniuersè ita cenſeo: hos, à quo tempore ſchiſma alere, Romaniq; Pont. auctoritatem contemnere cœperunt, nihil neque domi, neque foris præclarè, nihil memoria dignum geſſiſſe: mutuis cædibus, inteſtinis diſcordijs, odijſq; præcipites ad interitum ruerunt: tum deſidia, luxuria, nequitiaq; corrupti, ſuis ludibrio, hoſtibus contemptui fuerunt. Imperium tandem, Bizantio à Turcis expugnato, amiſſum. Græci verò, qui ſub Romani Pont. auctoritate eſſe noluerunt, duriſſimo barbaricæ ſeruitutis iugo, premuntur. caduca ſunt imperia, imbecilla Imperatorum arma niſi veræ pietatis ope, præſidioq; nitantur. neque vlla vis in arcu eſt, niſi Eliſeus manus ſuas bellatorum manibus imponat, & Moyſes manus in cælum erectas, & contentas habeat. 4. Reg. 13.

Imperatores Occidentis.

Quæ de Conſtantinopolitanis Imperatoribus diximus, de Germanis eadem dici poſſent. hi enim dum Pontificiam ditionem infeſtam habent: vel poteſtatem dandorum beneficiorum ſibi arrogant; vel adulterinos Pontifices aut ipſi creant, aut ab alijs creatos tuentur: veros nunc in Galliam profugos, nunc alio ire cogunt: neque de Pontificum dignitate quicquam diminuerunt, & pulcherrimam Imperij partem in Italia amiſerunt. Germania autem magna ex parte Chriſti legibus repudiatis, Cæſaris nomen, imperiumq; contemnit, & Barbari Chriſtianorum Principum diſcordijs, odijſq; corroborati, & ſpolijs ditati, ceruicibus noſtris impendent.

Lon-

Longobardi.

LOngobardis, quorum ampliſsimum Regnum, opes maximæ fuerunt, exitio fuit Romani Pont. contemptus: dum enim eius gentis Reges Pontificiæ ditionis oppida inuadunt, Galliæ Regum, arma in ſe concitarūt quibus quidem primùm perdomiti, deinde funditus euerſi, dignitatem omnem, atque imperium amiſerunt. Quo loco, non eſt prætereundum, quòd omnium ſeculorum memoria obſeruatum eſt, Reges, atque Imperatores, qui Eccleſiæ bona ad ſe transferre uoluerunt, ſua etiam amiſiſſe, contra qui in Eccleſiam beneficentiſsimi fuerunt, multum inde utilitatis, multum emolumenti conſequutos eſſe. Longobardi enim dum Eccleſiaſticam ditionem ſuam facere conantur, regnum perdiderunt. Galli dum regni ſui uires, & opes ad Eccleſiæ dignitatem, atque amplitudinem tuendam conferunt, Galliæ regno imperium occidentis adiecerunt.

Reges Neapolitani.

NVlla eſt Regio Europæ aptior Regno Neapolitano ad imperium longè, lateque propagandum: hoc enim & ijs rebus abundat, quæ ad bellum gerendum requiruntur, ſale, ferro, oleo, frumento, uino, equis, uiris; & ita ſitum eſt, ut hinc Orientem, inde Africam in cōſpectu habeat; & ad eas oras, breui traiectu, inuadendas, portus excellentes, hinc Brundiſinum, inde Tarentinum. tātam rerum gerendarum opportunitatem, & gloriæ adipiſcendæ facultatem corrupere Reges, cum alijs multis, magniſq; erroribus, tum præcipuè ſimultatibus, quas cum Romanis Pontificibus exercuerunt. quibus quidem factum eſt, ut & ipſi perturbatiſsime regnarint, & non diuturnam poſteris reliquerint hæreditatem. nam intra quingentos annos ſex familiæ in eo regno pedem poſuerunt. nulla tamen (niſi forte extrema) fixit.

Blaſphe-

Blaſphæmia. Cap. VIII.

NVLLVM ſcelus eſt blaſphemia Deo odioſius; nullum Reip. pernicioſius. blaſphemia enim directò in Deum fertur, atque eius Maieſtatem lædit. eſt in eiuſmodi peccato impietas; eſt contemptus, eſt contumelia, eſt rabies quædam, & furor Tartareus. Quod autem regnum ſatis firmum, quæ ciuitas ſatis munita, tanta peſte graſſante? Capio autem hic nomen blaſphemiæ paullo latius, quàm in ſcholis Theologorum capi ſolet.

Sennacherib.

SEnnacheribum, qui, potentia, atque exercitu ſuo fretus, horrendis blaſphemijs Deum laceſſierat, Deus, & horribili exer- 4. Reg. 19. 2. Par. 32.
citus, per Angelos contrucidati, ſtrage, atque internecione affecit, & morte, per filios illata, de medio ſuſtulit.

Antiochus.

IN cauſis, quare Antiochus horribiliter excruciatus fuerit, & 2. Mach. 9.
morbo intolerabili, & cuius aſpectum nemo ſuſtinere poſſet, confectus, blaſphemia numeratur. ita enim ſcriptum eſt. Igitur homicida, & blaſphemus peſſimè percuſſus, & vt ipſe alios tractauerat, peregrè in montibus vita functus eſt.

Choſdroas Perſarum Rex.

COnſimilem exitum habuit Choſdroas. nam cum multis, magnisq. victorijs elatus, atque intoleranter inflatus, Heraclij Imperatoris Oratoribus ſuperbè nimium reſpondiſſet, atque impiè, Nullo modo ſe pacem cum Romanis facturum, niſi Chriſtum, abiuraſſet Imperator. Heraclius hominis nefarij impietatem deteſtatus, atque execratus, armis eam perdomare, & comprimere, diuina ope fretus, ſtatuit. Itaque exercitu coacto, & in Perſiam abducto, tribus grauiſſimis prælijs hoſtem ſuperauit. Regem verò ipſum, fuga ſibi conſulentem, Sinochius filius, quòd ille Medarſen, natu minorem, ſibi ſucceſſorem declaraſſet, interemit.

Iulianus Apoſtata.

HIc, ad Perſicum bellum profecturus, illud identidem, furoris, & minarum plenus; iactitabat, ſe Chriſtianorum internecionem, atque exitium tantiſper differre, dum ab ea expeditione reuerteretur. Ergò, cum eò profectus eſſet, & iam, iamque victoriæ nuncius à ſui ſimilibus expectaretur, Libanius Sophiſta, eius familiaris, de Pædagogo quodam Chriſtiano, CHRISTO, Chriſtianisq́; illudens, atque inſultans, quæſiuit, quid ageret fabri filius. ita enim (CHRISTVM per contumeliam vocabat) Tùm ille ſanè argutè, ſandapilam, inquit, Iuliano. neque ita multò poſt, Iuliani cadauer in ſandapila elatum eſt.

Iulianus Iuliani Cæſaris auunculus.

HIc, dum Orienti præeſſet, ad ſacratiſſimam menſam lotium miſit. ſcelus pœna repente conſequuta eſt. inteſtinis enim putreſcentibus, atque excrementis per os effluentibus, impuriſſimam animam egit. Ferunt ipſius coniugem, excellenti virtute fœminam, hiſce verbis, maritum, horribili morbo laborantem, alloquutam; Aequum eſt, mi vir, te Chriſto Domino, quàm maximas grates agere, quòd hac exigua pœna ſuam tibi potentiam oſtendit, Neſcires enim, cui feciſſes iniuriam, niſi ille hunc tibi dolorem feciſſet.

Fædera cum impijs. Cap. IX.

Ioſaphat.

Exod. 23.
1. Eſd. 9.
2. Par. 16.

DOMINVS *Deus non ſemel vetuit, ne Iudæi fœdera cum impijs facerent, aut ſocietatem coirent. quapropter Ioſaphat Regi Hieroſolymæ, ex bello, quod cum Achabo, Rege facinoroſiſſimo, inita ſocietate, contra Syros geſſerat, redeunti, Iehu Propheta, obuiam factus, Impio, inquit, præbes auxi-*

auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & iccirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te.

Idem.

HIc idem, cum non multò poſt cum Ochozia, Samariæ Rege, ſocietatem coiſſet, & claſſis non exigua, communibus impenſis, parata, ad negotiationem miſſa eſſet in longinquiſſimas orbis terræ regiones, Eliezer, vnus è numero Prophetarum, ita eſt Regem, cœleſti monitu, inſtinctuq́, alloquutus, Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritaq́ ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis. 2. Par. 21.

Alphonſus V. Hiſpaniæ Rex.

HIc ſororem Tyreſiam Abdalæ Saraceno, Toleti Regi, in matrimonium collocauit, vt, contra Cordubæ Regem, ſibi auxilio foret; at neque puella vlla conditione induci potuit, vt homini impio, & à Chriſti fide alieno ſui corporis copiam faceret, & ipſe Alphonſus, dum Viſeum obſidet, ſagitta confixus, morte, impietatis ſuæ pœnas dedit.

Iacobus Stuardus.

HIc percuſſo fœdere cum Ludouico XII. Gallorum Rege, qui tum ſacris interdictus erat, contra Anglos, qui tum Tornacum obſidebant, bellum infeliciter mouit. nam cum hoſte, ſignis collatis, congreſſus, magna cum totius exercitus ſtrage, ſuperatus, atque interfectus eſt.

Ioannes Nauarræ Rex.

PAullò minores pœnas, graues tamen, atque acerbas dedit Ioannes. hic enim cum eiuſdem Ludouici, qui tum ſacris interdictus erat, partes ſequeretur, Ferdinandi Catholici armis

profligatus, optimam regni partem amiſit. Quod fruſtrà, & ipſe Galliorum potentia fretus, & Henricus, eius filius recuperare tentarunt.

Palæologi. Cantacuzeni.

HI, cum Turcas in Europam, vt eorum armis, atque opibus alteri alteros oppugnarent, & Imperio ſpoliarent, euocaſſent, vtriq. à Turcis omnibus fortunis euerſi, omni dignitate ſpoliati, vita denique ipſa orbati ſunt.

Calloiannes Ponti Imperator.

CAlloiannes Vſſuncaſſani, Perſarum Regis, opibus Imperium ſuum, contra Turcas, Dei forte oblitus, muniendum filia ei collocata, eſſe ſtatuit. fruſtra. Turcæ enim, & Vſſuncaſſanum profligarunt, & ipſum, ad deditionem coactum, Conſtantinopolim duxerunt.

Ludouicus Sfortia. Iſabella Vngariæ Regina.

LVdouicus, contra Venetos, Iſabella contra Ferdinandum Regem Romanorum, Turcarum opem implorauit. quod impium conſilium rerum exitus damnauit. ille enim à Venetis, & Gallis; hæc ab ipſis Turcis regno ſpoliata fuit.

Alphonſus Iunior, & Federicus Aragonij.

HI eoſdem Turcas fœdere ſibi adiungere contra Gallos, atque Hiſpanos, Deo improbante, tentarunt. nam, temporis penè momento, regnum ambo amiſerunt.

Viduæ, pupilli, inopes male habiti. Cap. X.

NIHIL eſt Deo Opt. Max. maiori cura, quam pupilli, inopes, & viduarum cauſa. Quapropter nihil ſeuerius punit in Regibus, quam horum contemptum. nam cum Reges Dei vices in terris gerant, oportet eos Deum in his maximè rebus imitari, quæ ſunt ipſi cariſſima: nihil autem Deo carius ijs, qui ſunt omni humano præſidio ſpoliati. in ijs enim à facinoroſorum hominum ſuperbia, atque immanitate defendendis, eius poteſtas, & in ſubleuandis bonitas, luce clarius, elucet. Hunc Dei erga pauperes amorem cum videant, aut videre Reges debeant, debent etiam omni ratione eniti, vt quàm diligentiſſimè eum imitentur. inopumq; patrocinium ſuſcipiant, & deſertorum cauſam tueantur.

Principes Iudæorum.

HI quòd, auaritia, & cupiditate obcæcati, latrocinia potius quàm iudicia exercerent, & ſententiam non ſecundum ius, & fas, ſed ex munerum, & compendij magnitudine pronunciarent, atque ideò viduarum cauſas negligerent, pupillos, eorum fidem implorantes, odio haberent; pauperibus nullum iuris ſui obtinendi locum relinquerent: magnoperè diuinum in ſe numen concitarunt. Itaque his in eos verbis, ſumma indignatione, plenis, inuehitur. Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Iſa. 1.

Iidem.

EOſdem ita Dominus inſectatur apud Ieremiam: Cauſam viduæ non iudicauerunt: cauſam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus, aut ſuper gentem huiuſcemodi non vlciſcetur anima mea? Ierem. 5.

Iidem.

Iidem.

Zacha. 7. *HAEc ait Dominus exercituum, dicens, iudicium verum iudicate: & miſericordiã, & miſerationes facite vnuſquiſq; cum fratre ſuo. & viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari, & malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo, & noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulam recedentes, & aures ſuas aggrauauerunt, ne audirent, & cor ſuum poſuerunt, vt adamantem, ne audirent legem, & verba, quae miſit Deus exercituum in ſpiritu ſuo, per manum Prophetarum priorum; & facta eſt indignatio magna à Domino Deo exercituum.*

Conſilia iuuenilia. Cap. XI.

3. Reg. 12. *NOn eſt iuuenum dare, ſed accipere conſilium. nam vt in libro Iob praeclarè ſcriptum eſt, in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. Quod cum parum attendiſſet Roboam, filius Salomonis, ſenum conſilio repudiato, iuuenum aequalium ſuorum, ſententiam ſequutus eſt, & populo, tributorum penè intolerabilium grauitatem deprecanti, nihil ſe ſe remiſſurum, immo maiora, quam pater Salomon, impoſiturum, atque exacturum eſſe reſpondit. Quibus verbis irritatus Iſrael, ab eo defecit, & Ieroboam ſibi Regem adſciuit. Ita regnum ſumma Dauidis virtute fundatum, incomparabili Salomonis ſapientia conſtitutum, iuuenis vnius vitio diſſipatum eſt.*

Crudelitas in Prophetas, & Dei ſeruos. Cap. XII.

NIHIL eſt, quod Deus ſeuerius vlciſcatur, quam facta Prophetis, & miniſtris ſuis iniurias. nam, cum, omnium gentium conſenſu, legatorum nomen inuiolabile ſit,

ſit, in quanto apud omnes honore eſſe debet, Dei famulorum, & Prophetarum, qui Dei legati ſunt, auctoritas? quodſi Romani, propter iniurias oratoribus ſuis illatas Tarentinis grauiſſimum bellum intulerunt, Corinthum, clariſſimam totius Græciæ vrbem, funditus euerterunt, quanta cura putamus Deum legatorum ſuorum ius, & nomen tueri?

Achabus Samariæ Rex.

H*Vnc Syri occiderunt eius verò poſteritatem, Iehu, infinita cæde, Dei iuſſu, interfecit. ita enim ipſum Iehu vnus è numero Prophetarum eſt alloquutus. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, vnxi te Regem ſuper populum Domini Iſrael, & percuties domum Achab, Domini tui, & vlciſcar ſanguinem ſeruorum meorum Prophetarum, & ſanguinem omnium ſeruorum Domini de manu Iezabel; perdamq́ omnem domum Achab, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & nouiſſimum in Iſrael. & dabo domum Achab, ſicut domum Ieroboam, filij Nabat, & ſicut domum Baaſa, Iezabel quoque comedent canes, in agro Iſrael, nec erit qui ſepeliat eam.* 4. Reg. 9.

Ioas Iudeæ Rex.

C*Reſcente in dies, & ſe prodente Iudæorũ impietate in Deum Opt. Max. cuius illi templum deſeruerant, religionemq́ proculcabant, & ante muta idolorum ſimulachra ſupplices procumbebant, Zacharias, Ioiadæ filius, Sacerdos, diuino ſpiritu impulſus, graui ſanè oratione, conatus eſt eos, à tam nefario ſcelere, reuocare. Quare, aiebat, tranſgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit: & dereliquiſtis Dominum, vt derelinqueret vos.* 2. Par. 24. *His, atque alijs verbis in hanc ſententiam, illi in rabiem, & in furorem acti, ſanctiſſimum virum, iuſſu Regis, lapidibus obruerunt, atque interfecerunt. quo ſcelere grauiſſimè indignatus Deus, horribiles, & à populo, & à Rege pœnas expetiuit. anno enim vertente, Syros Hieroſolymam adduxit, qui Principes omnes populi interfecerunt, ciuitatem verò omnibus*

ornamentis ſpoliarunt, exinanierunt, exhauſerunt. & vt omnes intelligerent Deum impietatis pœnas exigere, Syri exiguis admodum copijs, & Iudæos profligarunt, & vrbem expugnarunt. Regem verò ignominijs omnibus appetierunt, atque affecerunt. domeſtici autem eum, grauiſsimo morbo laborantem, occiderunt (in vltionem ſanguinis filij Ioiadæ Sacerdotis.)

Non ſperare in Domino. Cap. XIII.

2. Par. 10. *SAVLEM, quia non ſperauit in Domino, interfectum fuiſſe, & Regnum amiſiſſe ſacræ litteræ docent. ita enim ſcriptum eſt. Mortuus eſt ergo Saul, propter iniquitates ſuas, eò quod præuaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed inſuper etiam Pytoniſſam conſuluerit: nec ſperauerit in Domino, propter quod interfecit eum, & tranſtulit regnum eius ad Dauid.*

Ex libro Iudith.

OPereprecium cenſeo commemorare, quæ Iudæi veriſſimè, vno ore, dixerunt dum ab Holoferne obſiderentur. Domine Deus cœli, & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem Sanctorum tuorum attende, & oſtende, quoniam non derelinquis præſumentes de te: & præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes humilias.

Iudas Machabæus.

HIc, dum, Dei immortalis præſidio fretus, bella geſſit, exiguiſsimis copijs glorioſiſsimas victorias, de maximis Antio-
1. Mach. 8. *chi Regis exercitibus obtinuit. deinde multum ſibi Romanorum*
1. Mach 9. *amicitiam, & ſocietatem pro futuram ratus, cum eis fœdus per-*
12. 14. 16. *cuſsit. ab eo tempore nihil ei proſperè ſucceſsit. vbi primum ſigna*

cum

cum hoſte contulit, uictus, cum omnibus penè copijs, interijt. idem exitus fuit Ioannis, & Ionathæ eius fratrum.

Contra Dominum gloriari. Cap. XIV.

Moabitæ.

DE ijs, ita, apud Hieremiam, ſcriptum eſt. Ceſſabit Moab eſſe populus: quia contra Dominum gloriatus eſt. pauor, & fouea, & laqueus ſuper te, ò habitator Moab, dicit Dominus. Qui fugerit à facie pauoris, cadet in foueam, & qui conſcenderit de fouea, capietur laqueo. adducam enim ſuper Moab annum viſitationis eorum, ait Dominus. Ierem. 48.

Babilonenij.

HOs inſectatur Dominus, apud eundem prophetam. Quomodo confractus eſt, & contritus malleus uniuerſæ terræ. quomodo uerſa eſt in deſertum Babylon, in gentibus? illaqueaui te, & capta es Babylon, & neſciebas. inuenta es, & apprehenſa, quia Dominum prouocaſti. Iſa. 52.

Incolæ montis Seir.

DE ijs ita Dominus Deus, apud Ezechielem. Inſurexiſtis ſuper me ore veſtro, & derogaſtis aduerſum me uerba ueſtra: ego audiui. Hęc dicit Dominus Deus, lętante uniuerſa terra, in ſolitudinem te redigam, Ezech. 35.

Crudelitas in miſeros. Cap. XV.

CVM nulla re, Deus magis delectari uideatur, quàm miſerorum hominum, & omni humano præſidio ſpoliatorum patrocinio, & cura; quod quidem Dauid toto

pſalmo nono pulcherimè docet, fieri non poſſe, quin in eos grauiſſimè animaduertat, & ſeueritatis ſuæ neruos, ac vim expromat, qui miſerorum ſanguine, & cæde paſcuntur. Quis enim opprimi, atque indignè tractari, æquo animo, patiatur? Dei autem clientes ſunt, qui nullos, hac in vita, patronos, nullos tutores habent;
Pſal. 9. *qui in ſacris litteris, & pauperes, & orphani dicuntur. ijs Deus eſt, pro tutore, & pro patre. illatas ipſis iniurias, tanquam ſibi factas vlciſcitur. nullos autem grauius punit, quam Reges, qui in eo genere peccarint. ij enim, cum poteſtatem ampliſſimam à Deo, cuius locum in terris tenent, acceperint, ad eorum præſidium, & ſalutem potiſſimum ea uti debent, quos Deo cariſſimos eſſe norunt.*

Aegiptij. Pharao.

Exo. 2. HOs, quoniam Hebreos accerbè nimis affligebant, & tanquã pedibus intoleranter proterebant, laboribus frangebant, oneribus opprimebant. nullum illis tempus ad quietem reliquum eſſe patiebantur, Deus Opt. Max. & maximis cladibus afflixit, atque proſtrauit, &, excitata repente procella, demerſit, ac perdidit,
2.Eſdræ. 9. Iſa. 52. vt in libris Eſdræ ſcriptum eſt, & apud Eſayam expreſſum.

Incolæ Montis Seire.

Ezech. 35. HOmines iſti maximis calamitatibus affecti fuerunt, eò quòd in Hebræorum, Paleſtinam petentium, miſerias, inopiamq; olim inſultauerant. iccirco eorum vrbes euerſæ, agri vaſtati, bona direpta, & mons, aliquin feraciſſimus, atque incolarum frequentia celeberrimus, ad deſertiſſimam ſolitudinem redactus fuit. eo quòd (ait Dominus) fueris inimicus ſempiternus, & concluſeris filios Iſrael in manus gladij, in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ. Propterea viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam ſanguini tradam te, & ſanguis te perſequetur: & cum ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te &c.

Idumei, atque aliæ gentes.

DE ijs, propterea quòd in Iudæorum calamitate, ipſis inſultauerant, & in perculſæ, atque afflictæ gentis miſerijs inſolentius exultauerant; iudicium pronuntiat Deus; apud Ezechielem Prophetam. *In igne zeli mei loquutus ſum de reliquis gentibus, & de Idumea vniuerſa, quæ dederunt terram meam ſibi in hæreditatem, cum gaudijs, & toto corde, & ex animo; & eiecerunt eam vt vaſtarent: & icircò vaticinare ſuper humum Iſrael, & dices montibus, & collibus, iugis, & vallibus. Hæc dicit Dominus meus, ecce ego, in zelo meo, & in furore meo, loquutus ſum, eò quòd confuſionem gentium ſuſtinueritis, ego leuaui manum meam, vt gentes, quæ in circuitu veſtro ſunt, ipſæ confuſionem ſuam portent &c.* Ezech. 36.

Ammon.

EAndem ſententiam pronuntiat Deus de filijs Ammon. *Pro eo quòd plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gauiſa es, ex toto affectu, ſuper terram Iſrael: Icircò, ecce ego extendam manum meam ſuper te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram; & ſcietis quia ego Dominus.* Ezech. 25.

Moab, & Seir.

EOdem crimine obſtricti Moabitæ, & incolæ montis Seir, eadem ferè ſententia percelluntur. *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo, quod dixerunt Moab, & Seir. Ecce ſicut omnes gentes domus Iuda: icircò ego aperiam humerum Moab de ciuitatibus, de ciuitatibus, inquam eius, & de finibus eius inclytas terræ: vt non ſit vltra memoria filiorum Ammon in gentibus.* Ezech. 25.

Mons Eſau.

IN huius montis populum inuehitur Dominus, apud Abdiam Prophetam. *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in* Abd.

fratrem tuum Iacob, operiet te confuſio, & peribis in æternum. In die cum ſtares aduerſus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & ſuper Hieruſalem mittebant ſortem; tu quoque eras quaſi unus ex eis. ſicut feciſti, fiet tibi: retributionem tuam conuertet in caput tuum.

Abuſus uictoriæ, & poteſtatis. Cap. XVI.

CVM uictoria, & poteſtas omnis à Deo ſit; illud cauere, quàm diligentiſſimè Reges debent, ne uictoriam, atque Imperium ad crudelitatem explendam, ſed ad Dei gloriam conferant, & ad gentium deuictarum ſalutẽ hoc enim eſt Deo, illud uerò ſibi uincere, & triumphare. Quod cum Deo uehementer diſpliceat, eiuſmodi uictoriæ diuturnos fructus afferre non poſſunt, breui tempore corrumpuntur, & in nihilum recidunt. eaſque pro gloria ignominia, pro Imperio exitium conſequitur.

Adonibezechus.

Iud. 1. ADonibezechus Pharezæorum Rex, cum ei capto, Iudæorum duces extremos manuum, ac pedum digitos præcidiſſent, hanc pœnam, quaſi pro ſuę in alios crudelitatis ſupplicio, agnoſcens, ſeptuaginta, inquit, Reges, amputatis manuum, ac pedum, ſummitatibus, colligebant, ſub menſa mea, ciborum reliquias. ſicut feci, ita reddidit, mihi Deus.

Babilonii.

QVia, poteſtate, & uictoria de gente Iudæorum ipſis à Deo conceſſa, ſuperbè admodum, & crudeliter abuſi ſunt, conuertit Deus iuſtitiæ ſuæ ſeueritatem in ipſos; quod his

Eſa. 47. uerbis docet: Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum quia

quia non uocaberis ultra domina Regnorum. Iratus ſum ſuper populum meum, contaminaſti hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua: non poſuiſti eis miſericordias. ſuper ſenem aggrauaſti iugum tuum ualdè; & dixiſti, in ſempiternum ero domina. non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, neque recordata es nouiſſimi tui. Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius, & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare: veniet ſuper te repentè miſeria, quam neſcies.

Iidem.

AD eoſdem ita loquitur Deus, per Ieremiam Prophetam. *Quoniam exultatis, & magna loquimini diripientes hæreditatem meam: quoniam effuſi eſtis, ſicut vitulus ſuper herbam, & mugiſtis ſicut tauri. confuſa eſt mater veſtra nimis, & adæquata pulueri, quæ genuit vos. ecce nouiſſima erit in gentibus. deſerta, inuia, & arens. vltio Domini eſt. vltionem accipite de ea. ſicut fecit, facite ei. reddite ei ſecundum opus ſuum. iuxta omnia quæ fecit facite illi.* Ierem. 50. Hier. 51. Eſa. 52.

Iidem.

COnſolans Deus Hebræos, hæc de ipſorum hoſtibus pronuntiat. *Hæc dicit dominator tuus (Hieruſalem,) & Deus tuus; & qui pugnauit pro populo ſuo. Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, fundum calicis indignationis meæ; non adijcies, vt bibam illum vltrà. & ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ, incuruare, vt tranſeamus: & poſuiſti, vt terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.*

Tyrij, Sidonij, Paleſtini.

Iocl. 3. *HAE gentes etiam magna acerbitate vſæ ſunt in Iudæos; nullamq́; eis humanitatem tribuerunt. pueros, puellasq́; proſtituerunt: atque exteris hominibus, in quàm remotiſsimas prouincias abducendos, vendiderunt. Ecce ego (ait Dominus) ſuſcitabo eos de loco, in quo vendidiſtis eos: & conuertam retributionem veſtram in caput veſtrum: & vendam filios veſtros, & filias veſtras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis, genti longinquæ, Quia Dominus loquutus eſt.*

Idumæi.

Ezech. 25. *HAEc dicit Dominus Deus. pro eo quod fecit Idumæa vltionem, vt ſe vindicaret de filijs Iuda, peccauitq́; delinquens, & vindictam expetiuit de eis: Iccirco hæc dicit Dominus Deus. extendam manum meam ſuper Idumæam, & auferam de ea hominem, & iumentum, & faciam eam deſertam ab Auſtro, & qui ſunt in Dedan gladio cadent. Et dabo vltionem meam ſuper Idumæam per manum populi mei Iſraël: & facient in Edom, iuxta iram meam, & furorem meum; & ſcient vindictam meam, dicit Dominus.*

Paleſtini.

Ezech. 25. *HAEc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecerunt Paleſtini vindictam, & vlti ſe ſunt toto animo, interficientes, & implentes inimicitias veteres; Propterea hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego extendam manum meam ſuper Paleſtinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis. faciamq́; in eis vltiones magnas arguens in furore: & ſcient, quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam ſuper eos.*

Moab.

Amos 2. *HAEc dicit Dominus. Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper quatuor non conuertam eum: eò quod incenderit oſſa*

Regis

Regis Idumeæ vſque ad cinerem. & mittam ignem in Moab. in clangore tubę, & diſperdam iudicem de medio eius, & omnes Principes eius interficiam cum eo. dicit Dominus.

Iudæorum hoſtes.

HAEC dicit Dominus exercituum. Zelatus ſum Hieruſalem, & Syon Zelo magno; ego iraſcor ſuper gentes opulentas, quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuuerunt in malum; propterea hæc dicit Dominus, ecce ego leuo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his, qui ſeruiebant ſibi. Zach. 1. Zach. 2.

Iſraelitæ.

CVm decem tribus contra Iudam conſpiraſſent, eamque tribum vehementer attriuiſſent, ad hanc tantam acerbitatem, etiam illud addiderunt, vt ducenta millia captiuorum ſecum Samariam abducerent. Quibus, obuiam factus, Obed Propheta, dixit eis, Ecce iratus Dominus, Deus patrum veſtrorum, contra Iudam, tradidit eos in manibus veſtras, & occidiſtis eos atrociter, ita vt ad cælum pertingeret veſtra crudelitas. Inſuper filios Iuda, & Hieruſalem vultis vobis ſubijcere in ſeruos, & ancillas; quod nequaquam facto opus eſt; peccaſtis enim ſuper hoc Domino Deo veſtro. ſed audite conſilium meum, & reducite captiuos, quos adduxiſtis de fratribus veſtris, quia magnus furor Domini imminet vobis. 2. Par. 28.

Mons Eſau.

IN huius montis populum inuehitur Dominus apud Abdiam. Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confuſio, & peribis in æternum. Abd. 1.

Sacrilegia. Cap. XVII.

Achan.

Ioſ. 7. CVM Ioſue omnem prædam vrbis Hierico Deo Opt. Max. conſecraſſet, Achan, filius Charmi, partem quandam prædæ ſurripuit, domumq́ auertit. qua de cauſa miſſi, non multò poſt, à Ioſua milites ad vrbis Hai ciues prælio laceſſendos, deiecti ſunt loco, & in fugam coniecti, magnam cladem, atque ignominiam acceperunt. nec prius hoſtium impetum ſuſtinere potuerunt, quàm auctore ſceleris inuento, & lapidibus obruto, atque oppreſſo.

Balſaſar.

Dan. 5. INter cæteras cauſas, quibus Deus irritatus, Balſaſarem dereliquit, imperiumq́, eo occiſo, ab Aſſyrijs tranſtulit ad Medos, vna fuit, eaque non exigua, quod vaſa ſacra, & à patre è templo Hieroſolimitano Babylonem aſportata, impurè contrectaſſet, & ad menſam adhibuiſſet.

Arnulphus Imperator.

HIc, propter virtutem ad Imperium vocatus, Normannos tumultuantes fregit, atque afflixit; mox ad rapinas, templorumq́ expilationes verſus, neque quicquam deinde proſperum in bello geſſit, & pediculari morbo confectus interijt. Imperij verò maieſtas, Caroli magni virtute, parta, ſucceſſorum ſapientia conſeruata, in eo defecit.

Leo Imperator.

LEo, Copronymi filius, cum coronam auro, gemmisq́ collucentem, quam Mauritius Imperator Deo conſecrauerat, eius pulchritudine captus, capiti impoſuiſſet, intra breue tempus, ſacri-

crilegij pœnas dedit. nam, & caput apoſtemate repentè intumuit, & febris totum corpus vexauit, qua, tandem extinctus, animam egit.

Clodoueus Galliæ Rex.

HIc, quòd minus religioſè D. Dionyſij Areopagitæ, Galliarum Apoſtoli, corpus attrectaſſet, atque ideo brachium ei infregiſſet, in inſaniam dicitur incidiſſe.

Iſacius hexarchus.

ISte, Seuerino Pontifice, Rauenna Romam profectus, templum Lateranenſe, quod precioſiſſimis donis refertum erat, expilauit. Sacerdotesq́; qui prohibere, atque obſiſtere conati erant, exilio mulctauit. Sacrilegij partem Conſtantinopolim, ad Heraclium Imperatorem, miſit; partem militibus impertiuit, partem domum auertit. eo ſcelere, tanquam igni quodam, videtur Imperium Orientis deflagraſſe. ab eo certè tempore, omnia in peius ruere, & præcipitare cœperunt. 632.

Iniuſtitia. Cap. XVIII.

NVLLVM eſt vitium rege indignius, nullum regno pernicioſius iniuſtitia. nam cum iuſtitia ſit fundamentum omnis Imperij, quid eſt iniuſtitia niſi pernicies? iuſtitia Regem, iniuſtitia Tyrannum facit. illa regi amorem, & reuerentiam conciliat, hæc odium, & contemptum populorum. illa poteſtatem diuturnam, & tutam; hæc periculoſam, & breuem reddit. nam, vt Eccleſiaſticus ſcriptum reliquit, regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. Eccl. 10.

Saul.

2. Reg. 21. *ILlud eſt ſanè admodum mirabile, iniuſtitiæ pœnas fuiſſe etiam à mortuo Saule expetitas. nam cum Iudæa omnis in ſumma inopia, atque annonæ caritate tertium iam annum fuiſſet, Dauid oraculum Domini conſuluit, Dixitq́ Dominus, propter Saul, & domum eius ſanguinum, qui occidit Gabaonitas. vocatis ergò Gabaonitis Rex, dixit ad eos, Quid faciam vobis, & quod erit veſtrum piaculum, vt benedicatis hæreditati Domini? neque prius commutata annona eſt, quàm Saulis filiorum, & nepotum ſanguine, ac cæde, Gabaonitis parentatum eſt.*

Dauid.

2. Reg. 11. *DAuid, Bethſabeeæ amore captus, adulterio addidit cædem Vriæ; quare Nathan Propheta hæc ad eum, Dei nomine, verba fecit. Vriam Hetheum percuſsiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua, vſque in ſempiternum, eò quod deſpexeris me.*

Idem.

2. Reg. 16. *HEbræorum Doctores volunt Dauidis regnum fuiſſe, poſt mor-*
2. Reg. 19. *tem Salomonis diuiſum, quia ipſe primùm omnia Miphiboſeti bona, deinde dimidiam eorum partem, eius ſeruo; dominum ſuum calumnianti, cauſa incognita, atque inaudita, adiudicauit.*

Achaab Rex Samariæ.

3. Reg. 20. *CVm Benadadum, Syriæ Regem, capitalem Hebræorum hoſtem, Dei beneficio, ingenti prælio fregiſſet, viuumq́ in poteſtatem ſuam redegiſſet; non ſolùm eum vita donauit, ſed etiam fratrem appellauit, fœdere ſibi coniunxit, atque incolumem dimiſit. Tùm quidam, è numero Prophetarum, hanc in eum ſententiam,*

tiam; diuino impulſu, pronunciauit. Hac dicit Dominus, quia dimiſiſti virum, dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.

Idem.

NAbothi Ieſrahelitæ vineam, ſanè amœnam, & benè cultam, Achabus penè deperibat; ille patrimonio ſuo ſe ſe vlli ceſſurum præcisè negat. Rex vix lachrymas tenet. Iezabel viri ſimplicitatem deridet, atque interim teſtes parat, qui Nabothum blaſphemiæ accuſent, falſisq́; criminationibus innocentem circumueniant, atque obruant. nulla mora. accuſatur, circumuenitur, condemnatur, lapidibus opprimitur. tum Regina Achabum in vinea poſſeſſionem ire iubet. Eunti obuiam fit Elias, qui Dei iuſſu hanc in eum ſententiam dixit. Occidiſti inſuper, & poſſediſti. hæc dicit Dominus. in loco hoc in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. 3. Reg. 21.

4. Reg. 9.

Manaſſe.

INter cæteras cauſas, quæ Manaſſi, Iudæisq́; exitium attulerunt, vna, eaque non minima, fuit innocentiſſimorum hominũ ſanguis effuſus, ita enim ſcriptum eſt in Regum hiſtoria. factum eſt autem hoc, per verbum Domini, contra Iudam, vt auferret eum coram ſe; propter peccata Manaſſe vniuerſa, quæ fecit, & propter ſanguinem innoxium, quem effudit, & impleuit Hieruſalem cruore innocentiũ, & ob hanc rem noluit Dominus propitiari.

Libido. Cap. XIIII.

Cathachlyſmus. Sodoma. Gabaa.

R*ELIQVA flagitia ſingulas aliquando vrbes euertiſſe; aut in magnam aliquam miſeriam adduxiſſe legimus; at libido orbem terrarum vniuerſum penè deleuit. cæli*

Gen. 7. *enim cataractis apertis, tanti ſe ſe imbres effuderunt, vt nihil penitus relictum ſit in terris, præter ea, quæ in archa Noë continebantur. Cum verò aquæ hominum libidinem ſedare non potuiſſent, Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur,* Gen. 19. *& ignem à Domino de cælo, & ſubuertit ciuitates has; & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia. Iam Gabaonitarum flagitioſiſſimam impuritatem,* Iud. 20. *non ipſis modo, ſed vniuerſis Beniamitis exitio fuiſſe, nemo ignorat.*

Seres.

IN Serum regionibus quædam oppida, præpoſteræ libidinis infamia flagrantia, ſulphure, atque igne abſumpta fuiſſe, Luſitanorum litteris proditum eſt.

Hiſpani. Carthaginenſes.

Lib. 7. *SAluianus, Maſſiliæ Epiſcopus, in libris de prouidentia Dei, aſſerit Deum, Hiſpanos Vandalorum armis attriuiſſe, & ſub eorum ditionem, atque Imperium redegiſſe, propter nefariam eorum libidinem. Vandalis verò adiumento ad Hiſpanias perdomandas fuiſſe, propter eorum caſtitatem. cuius quidem caſtitatis adeò erant ſtudioſi, vt cum Carthaginem expugnaſſent, eamque lupanaribus plenam offendiſſent, meretrices ad maritalem thorum compulerint, & luxuriæ quaſi tabernas ſuſtulerint.*

Ramirius Hiſpaniæ Rex.

HVius libido Hiſpaniæ vniuerſæ exitio fuit. nam, cum filiam Iuliani comitis conſtupraſſet, ille, iniuriæ impatiens, Saracenos, ad eam vlciſcendam, aduocauit, & in Hiſpaniam induxit. quam quidem Barbari, cum infinita hominum ſtrage, (nam DCC. hominum millia in eo bello vtrinq. cecidiſſe memorantur) occuparunt, & per DCCC. penè annos tenuerunt.

Pecca-

Peccatum. diuinæ legis contemptus. Cap. XX.

OMNIS miſeriæ cauſa, eſt peccatum. atque hactenus quidem quędam peccatorum genera commemoraui. nunc pauca vniuersè dicam. nam, ſi omnes locos percenſere velim, oporteret me huc vniuerſam ſacram ſcripturam conferre.

Filij Ephrem.

HI licet ſcirent arcus ſumma arte contendere, & ſagittarij præſtantiſsimi eſſent, maximamq́; virtutis opinionem haberent; in prælijs tamen vix hoſtium conſpectum ſæpè ſuſtinebant. cuius rei cauſam affert Dauid, Non cuſtodierunt, ait, teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Pſal. 77.

Saul.

DE hoc ita ſcriptum eſt. mortuus eſt Saul, propter iniquitates ſuas; eò quod præuaricatus ſit mandatum Domini, quod pręceperat, & non cuſtodierit illud. Sed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, propter quod interfecit illum, & tranſtulit regnum eius ad Dauid. 1. Par. 10.

Ioram Rex Hieroſolymæ.

AB hoc defecit Lobna, defecerunt Idumei, Arabes, Philiſthei. Aethiopes verò in Iudæam impetum fecerunt, eámq́; diripuerunt. ipſe tabe, morboq́; confectus, magno cum dolore, & cruciatu exceſsit è vita. cauſam habes in Paralipomenis. Dereliquerat enim Dominum patrum ſuorum. 2. Par. 21.

Iudæi.

Babylonij victoriam, quam de Iudęis habuerant, non armis, aut viribus ſuis, ſed diuinę iuſtitiæ; quam peccatis laceſſierant, & in ſeipſos illi concitauerant, acceptam referunt. ita enim
Hier. 40. *Princeps Aſſyriorum Hieremiam alloquitur. Dominus Deus tuus loquutus eſt malum hoc, ſuper locum iſtum; quia peccaſtis Domino, & non audiſtis vocem eius.*

Iidem.

Iudith. 5. *Nihil in hanc ſententiam legi pulchrius poteſt, nihil enucleatius ea concione, quam habuit Achior, Princeps filiorum Ammon ad Holofernem. ex qua concluſionem tantum proferam. Nunc ergo, mi Domine, perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum; & aſcendamus ad illos; quoniam tradens tradet illos Deus: & ſubiugati erunt ſub iugo potentię tuæ. Si verò, non eſt offenſio populi eius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defendet illos.*

Galli. Hiſpani. Afri.

Vandali in turbinis, aut tempeſtatis modum, in Galliam, Hiſpaniam, atque Africam inuaſerunt; eaſque prouintias longè, latèq́; vaſtarunt, propter Chriſtianorum ſcelera, atque flagitia. Quod Saluianus, Maſsilię Epiſcopus, inde probat, quod & opulentiſſimas regiones iam ſub Imperium redactas, deſerebāt, & ipſi fatebantur non ſuum eſſe opus, quod efficerent, ſed Dei, cuius iuſſu, atque impulſu agebantur. Adde, quòd, vt idem teſtatur, cum eſſent natura infirmi, numero pauci, ingenio hebetes, tamen, & robur Gallorum, & multitudinem Hiſpanorum, & calliditatem pœnorum vicerunt.

Atila. Tamberlanes.

Atila Hunnorum Rex, cum nobiliſsimas prouincias, & ciuitates ferro, flammaq́; vaſtaret, & in omnem ętatem incredi-

credibili atrocitate graſſaretur, Dei ſe flagellum nominabat, Tamberlanes verò, cum id ipſum faceret, Dei iram, indignationemq́; ſe appellabat.

Mathæus magnus Vicecomes.

HVius reſponſum, dignum immortalitate, celebratur. nam, cum exul eſſet. Turriano hoſti inſolenter quęrenti, ecquando in patriam, & ad priſtinam dignitatem rediturus eſſet, Quando, inquit, tua peccata maiora erunt meis.

Alphonſus II. Rex Neapolis.

HIc Gallorum aduentantium metu perculſus, regnum Ferdinando filio cedere, & in Siciliam ſeſe conferre ſtatuit. In qua rerum perturbatione, fertur, ſpiritum Ferdinandi patris Iacobo Chirurgo ter apparuiſſe, eique primum leniter, deinde, ſeueriſsimis verbis, mandaſſe, vt iuberet Alphonſum, ſpem omnem regni tuendi, ac retinendi abijcere. Fixum enim eſſe, vt illius ſtirps, ac ſoboles, varijs agitata caſibus, regnoq́; ſpoliata, extingueretur. huius rei cauſam eſſe ſcelera ab ipſis perpetrata, atque illud imprimis, cuius ipſe ſuaſor, atque adhortator, inter Puteolos, & Neapolim, in templo D. Leonardi, fuiſſet, Fuit autem opinio Alphonſum, eo loco, patrem impuliſſe ad regni procerum, quos in carcerem ille coniecerat, cędem. certè multorum ſibi facinorum conſcius, cum neque noctu, neque interdiu conquieſceret, regni defenſione deſperata, in Siciliam profugit.

Valens. Traianus Valentis legatus.

TRaianus à Valente Imper. contra Gothos cum exercitu miſſus, magna accepta clade, Conſtantinopolim reuertitur vbi eũ Imperator magnis, grauibusq́; contumelijs excepit, conuitijsq́; lacerauit. Tùm ille audacter, non ego, inquit, victus fui, Imperator, ſed tu victoriam impietate corrupiſti, Deumq́; à nobis alienatum, aduerſariarum partium feciſti.

Turca.

Turcæ. Hæretici.

TVrcarum Imperium quam ob rem tam diuturnum ſit, non nemo noſtra ætate, quæſiuit, & in diſputationem vocauit. Sed qui alias afferre cauſas conantur, præter morum noſtrorum peruerſitatem, longiſſimè aberrant à veritate. nam, vt ſcriptores omnes, qui politica ſcripſerunt, quàm diligentiſſimè euoluas; vt omnes, qui de regni adminiſtrandi ratione aliquid memoriæ prodiderunt, perlegas; vt cunctas denique humanæ prudentiæ partes excutias; nihil inuenies, vnde diuturnitatis eius rationem haurire poſſis. malus eſt, omnium conſenſu, cuſtos diuturnitatis metus. at Turcarum principatus metu continetur. nihil violentum durabile eſſe poſſe, communi penè prouerbio, tritum eſt. at ille totus eſt ex violentia, atque immanitate conflatus. Barbaros ſeruituti natos eſſe, Ariſtoteles docet: Græcos verò dominationi; at nunc populus omnium barbariſſimus Græcis dominatur; Aſiæ, Africæ, atque Europæ nobiliſſimas prouintias Imperio continet, Plato Reſp. tum beatiſſimas fore aſſerit, cum aut docti, & ſapientes homines eas regere cæpiſſent; aut qui regerent, omne ſuum ſtudium, in doctrina, ac ſapientia collocaſſent. at verò Othomani, & ſeptingentos amplius iam annos rerum potiuntur, & non ſolum à doctrina, ſed ab omni etiam humanitate ſemper abhorruerunt. Quid verò minus durabile iudicari poſſit, eo Imperio, quod exterorum hominum fide nititur, perfugarum conſilijs adminiſtratur? vbi ſerui dominantur? vbi vis eſt pro lege; ius, & æquum ſitum eſt in gladio? vbi iudicijs cupiditas præeſt; æquitati auaritia dominatur? vbi nulla eſt certa vxor, nullus erga liberos amor, nulla caritas erga propinquos? Poteſt, vbi communio ſanguinis, coniunctioq; ab ipſa natura inſtituta, atque ingenerata, nihil loci habet, vlla eſſe vel prudentia inuenta, vel arte conſtituta, vel lege conformata animorum conſpiratio, atque conſenſio? poteſt, vbi iura naturæ nihil habent roboris, atque neruorum, vllum eſſe ius gentium? Ergò cum, in Turcarum dominatu, nihil ſecundum rationem penè eſſe videas, eius amplitudinis, ac diuturnitatis cauſas aliunde, quàm ex occultis Dei iudicijs accerſere, ſtultum eſt. Deus olim, ad Aſſyriorum impotentiam deprimendam, Medos adduxit.

Medo-

Medorum autem ſuperbiam Perſarum armis proſtrauit. Perſas Alexandri magni virtute afflixit, & in ordinem redegit. at vero Alexandri ſucceſſores, mutuis diſcordijs attritos, Romanorum armis, euertit. Romanos autem, cùm iam eorum auaritia, atque crudelitas ſuos omnes numeros expleuiſſet, bellis ciuilibus debilitauit: tum exterarum gentium, quę in Italiam, locuſtarum more, inuaſerunt, irruptione, ac furore penè deleuit. ſi quid dignitatis, ac firmamenti reliquum ad orientem ſolem erat, id Turcarum armis, & impetu contriuit, atque euertit. ij enim noſtris ex Paleſtina eiectis, Aſia atque Armenia nobis erepta, Imperium Conſtantinopolitanum, Græcorum diſsidijs ac ſeditionibus diuulſum, & mancum, vrbe capta, atque Imperatore trucidato, occuparunt. tum Calloianem Ponti Regem, fruſtra Perſarum opipus confidentem, regno ſpoliarunt. deinde armis in Europam translatis, Peloponeſum, Epirum, Macedoniam, Pannoniam ſub Imperium, ditionemq; redegerunt. nunc Italiæ, ex Epiro, Hiſpaniæ, ex Africa, Germaniæ, ex Pannonia, minas intentant, atque exitium minantur. Pugnant pro Barbaris contra nos ſcelera, quibus obſtricti ſumus. Ob quæ, Deus immortalis, nos vt puniat, primum quidem Chriſtianos Principes, cęleſti luce deſtitutos, conſilio orbat, atque inteſtinis diſcordijs conflictari, conficiq; permittit. Tùm Barbaros, opibus auctos, armis inſtructos, militari virtute confirmatos, excitat, & ad vaſtitatem, atque interitum Chriſtianorum rebus afferendum adducit. ita olim Moabitas, Philiſtheos, Syros, Babylonios in Hebræos concitauit, & ab eis idololatriæ pœnas toties expetiuit. Vna ergo impietas, & nos omnibus Reip. tuendæ pręſidijs ſpoliat, & hoſtibus omnia in nos arma ſubminiſtrat. Pugnāt in nos non Turcarū ingenia, quæ obtuſa, non vires, quæ infirmę, non diſciplina, quę barbara eſt: ſed facinorū noſtrorū vis, ſed flagitiorū impuritas, ſed ſcelerū immunitas. Quibus quidē rebus diuinū numen laceſſitū, atq; impulſum, concitat in nos barbariſsimarū gentiū acerbitatē. Atq; vt leuiora ſunt gentiū à Chriſti fide, ac religione alienarum, q̄ noſtra peccata: ita æquius eſt Turcas, quam malos Chriſtianos tolerari; tolerabilius eſt Hieroſolymam, & liberatoris noſtri ſepulchrū, & tot alia loca eius veſtigijs inſignita, admirandis operibus illuſtrata, cruore imbuta, in Saracenorū eſſe

 pote-

poteſtate, quàm à nobis, omni libidinis turpitudine, quaſi incestari. Regnum Hieroſolimitanum, admirabili Gotifredi uirtute partum, paullo amplius LXXX. annis in noſtrorum poteſtate fuit. Quid mirum? Pontifices erant apud noſtros ludibrio; Sacerdotes contemptui; religio ipſa deriſioni. intolerabilis quædam militum licentia diuina humanis æquabat; profana ſacris permiſcebat. vbique luxuriæ infinita ueſtigia cernebantur. Quid ergo? fineret Deus ſe à ſuis impudentiſſimè deſpici, illudi, derideri? fineret loca, filij ſui ſanguine adhuc madentia, omni libidinis turpitudine fœdari? Grauis eſt omnis contumelia; grauiſſima, quæ à domeſticis infertur. acerba omnis iniuria, acerbiſſima, quę ab ingrato proficiſcitur. Expugnarunt Turcæ Conſtantinopolim. nihil mirum. Expugnauerat enim eam prius ſumma Græcorum impietas. mitto defectionem à Romani Pontificis auctoritate. mitto hęreſes, auaritiam, crudelitatem. quid? tolerandumne erat; Conſtantinopolitanos ciues in celeberrimum illud templum, à Iuſtiniano Imperatore conditum, equis ingredi, & ex equis Sacroſanctam Euchariſtiam, vix, aut ne vix quidem detecto capite, quiduis aliud agentes, atque attendentes, ſpectare? Quid faceret Deus? vrbem hoſtibus ad prædam, Principes Græcorum ad necem, multitudinem ad ſeruitutem, templum ad equorum ſtabula, conceſſit. Cyprus inſula, quantis, & quam multis eſſet ſceleribus obſtricta, neque ego facilè poſſem commemorare, & ſi poſſem vererer ne uelle exiſtimarer eius gentis, ſanè quàm miſerrime, uulnera refricando exulcerare, doloremq́; renouare. Ex ijs colligitur, cùm gentium omnium, tum præcipuè Chriſti fide imbutarum, calamitates, atque offenſiones non aliunde, quàm ab eorum prauè factis, oriri. Quibus quidem fit, ut Deus nos, & ſapientię ſuę lumine orbatos, & gratiæ præſidio priuatos, nudos, atque inermes exteris nationibus, ab ipſo armatis, atque inſtru-

Pſal. 109. *ctis, ad necem, & ad ſeruitutem abijciat, & hac ratione, in me-*

Eſa. 1. *dio inimicorum ſuorum dominetur, & ſe ſe de hoſtibus ſuis conſoletur. Vna ergo noſtrarum miſeriarum cauſa; una peſtis, atq; pernicies, quæ Italorum ingenia, contra Turcas, obcæcat; quæ Hiſpanorum ſolertiam eludit; quæ Gallorum impetum moratur; quæ Germanorum robur infringit, quę potentiſſimorum Regum o-*

pes,

pes, perpetuis diſcordijs, conuelliit; quæ nos denique reddit, omni ex parte, Barbaris inferiores, impietas. Qui alias cauſas affert, non cauſas, ſed effectus commemorat, & ſcelerum pœnas deſcribit. nam Principum inertia, militaris diſciplinæ intermiſsio, Regum diſsidia, atque alia de hoc genere, in quæ plerique conferunt cauſas calamitatum, non ſunt ipſæ cauſæ, ſed effectus potius noſtræ impietatis. non radices, unde Reip. exitium oriatur, ſed propagines peccatorum. Peccatis enim noſtris irritatus Deus, & iuuentutem, langori, otioque ſe dedere, nec perinde, atque debet in gloriæ ſtudio uerſari, & Principes omne ſuum ſtudium in auaritia collocare; & Reges mutuis inter ſe odijs, atque inuidia ardere, permittit. Tum iam effœminatos, atque inermes hoſtibus, quaſi tortoribus exponit. ita Barbarorum opes noſtris ſceleribus amplificantur, & continentur. Fieri quidem poteſt, ut Turcarum Principatus, cum ipſorum ſuperbia, atque immanitas ad ſummum uenerit, alterius cuiuſpiam gentis impetu, atque incurſione ſubuertatur; ſed ut nobis hoſtes deſint, niſi nos ante peccare deſierimus, fieri non poteſt. Itaque ubi Turcæ deſunt, graſſantur Luterani, Caluiniani, atque alię huiuſmodi furioſorum hominum ſectæ.

IOANNIS BOTERI

AD IOANNEM VINCENTIVM

Pinellum Sylua, cui titulus otium honoratum.

NVNC ſcribenda, ſuper genibus, mihi carmina,
Debita Pinello. doctæ preſto eſte ſorores. (tandē,
Huc, & aues lætis hilarantes cantibus auras,
Et Zephyrus placidis demulcens ora flabellis,
Inuitant. condenſa umbras coryleta miniſtrant,
Et riuus gelidis argenteus adfluit vndis:
Et memoranda viri foret alta Aeneide virtus.
Omnipotens rerum genitor mortalibus ægris
Inſeruit, ſparſitq́, inter præcordia, flammas;
Equeis mirus amor famæ, atque immenſa cupido
Terrigenum mentes ſtellanti attolit olympo.
Prædulci laudis ſtudio, immortaliter, omne
Raptatur mortale genus: puerique, ſeneſque
Laudem adamant; laudem exquirunt matreſque, viriq́.
At non vna placet cunctis via. plurima certat
Turba armis, ſtudijſq; feri clareſcere Martis.
Pellæus iuuenis, læta inter nuncia, plorat
Nil ſibi vincendum, forti a genitore, relinqui.
Vndecies centena hominum ſe millia Cæſar
Iactauit rapido miſiſſe in Tartara ferro.
Præter ciuilis bella illaudata furoris.
Tantus amor famæ armorum virtute parandæ.
Pars, cui obſtat gelidus circum præcordia ſanguis,
Caſtra odit, triſteſq; tubas, ſæuoſq; tumultus:
Tendit at vrbanis cælo ſe tollere rebus.
Artibus his Cicero; Romana his, Lælius vrbe,
Exemere olim informi ſua nomina vulgo.
Pleroſque, ingenij audacis pernicibus alis,
Confiſos, inuenta iuuat ſua credere luci,

Do-

Doctorum latè manibus verſanda virorum.
Scriptorum hinc eſt omne genus, qui prælia Regum
Triſtia, qui terrarum oras, qui ſidera cœli
Deſcribunt, radioq; notant, cauſaſq; latentis
Naturæ ante oculos ponunt, aſperſa nitentis
Splendore eloquij; neque enim tibi fœda probari
Scripta putem tetra illuuie, cæciſque tenebris.
Denique quotquot auent dulci quoque viuere fama,
Tentare, ac moliri aliquid conantur, & ardent
Egregium, ventura ferant quod ſæcla nepotum
Laudibus. hi viuos ducunt de marmore vultus;
Pyramidum hi miras tollunt ad ſidera moles.
Hanc viſum cœlo mortalibus addere curam,
Hos ſtimulos, qui ſi ceſſent, langueſcere cernas
Omnia. prædurìs horrebunt ſentibus arua;
Deſeret alma ceres campos; colleſq; lyæus;
Nullæ artes, nulli florebunt denique mores.
Cornipedem acer eques, ferrato calce, fatigat.
In curſumq; adigit: ſinuoſo carbaſa coro
Impellente, ſecant Neptuni cærula naues.
GLORIA dia homines acuit, ſtimuloſq; ſub imo
Pectore vertit agens: his, ceu calcaribus, acti
Temnunt cœli iras, ponti diſcrimina temnunt:
Et dulcis patriæ obliti, oblitique ſuorum,
Atque ſui, in fluctus in tela feruntur, & ignes.
Tu ſolus laudem aſſequeris Pinelle ſedendo,
Comprehendiſq; manu, quam vix attingere curſu,
Vix alij remis, atque aura prendere poſſunt.
Quid cauſæ eſſe rear? non ſat ſententia conſtat,
An quia pernici fugientes illa volatu
Sponte ſua ſequitur, nitidiſq; amplectitur alis,
Atque eadem cupidos motis fugit auia pennis,
Ignotoſq; ſinit ſtygijs fluitare ſub undis?
An quia nonnullis ipſo contingit ab ortu,
Vt cari, clarique hominum celebrentur amicis
Plauſibus ac votis, ſine id felicia cœli

Si-

Sidera, diuino nutu, ſiue oris honores
Efficiant, habituſuè aliquis, naturaq́; multis
Affinis, ſimilisq́;, & amari nata ſerendo?
An quia viuendi genus id ſectaris, & ambis
(Præclara ambitio) quod cunctis proſit, & obſit
Omnino nulli, atque omnis virtutis, & artis
Ingenuæ ſtudijs vigeatq́;, & floreat vnum?
Hæc cauſa eſt, ni me penitus ſententia fallit,
Hæc ſeges, hi laudum fontes, hæc ſemita quæ te
Sublimem, monſtrat, quà ſe via lactea, ducit.
Arte hac tantum alios ſuperas, infraq́; relinquis,
Quantum vlmi corylis, quantum vlmos Herculis arbor,
Herculeis ſyluis abies altiſſima præſtat.
Altum alij teneant, pelagoq́; ferantur aperto.
Credant vela Notis, credant Aquilonibus atris:
Per medias ſyrtes, Siculiq́; pericula ponti:
Per concurrentes rapidis ſymplegadas vndis,
Tendere iter, curſumq́; iuuet, neque fœta procellis
Saxa reformident; auſint tentare Maleam,
Auſint infames, ſæua Acroceraunia, rupes.
Tuta tibi, ac tranquilla placent; & neſcia fluctus.
Vel tibi nobilitas, titulis inſignis auorum,
(Nam quis Pinellos neſcit? Genua ipſa, ſuperba
Sit licet, imprimis numerat vos gentibus vltro)
Vel tibi opes, fratresq́; opibus, belloq́; potentes;
Vel (quia diuitias contemnis more Biantis
Non tua) tergeminos excelſa paraſſet honores:
Virtus, & digna imperijs, & digna tyaris.
At res humanas pendenti vilia cuncta
Viſa tibi, præter pacata gaudia mentis:
Gaudia diuitijs Phrigij meliora tyranni.
Cætera vel ferro deleta, vel ignibus hauſta,
Fulmine vel tacta, intereunt, vel lapſa feruntur
Sponte ſua, in præcepsq́; ruunt; & victa fatiſcunt.
Cuncta ruunt, firmumq́; nihil tegit arduus æther.
Qualiter Oebalij ſtudio roſa culta coloni,

Sole oriente rubet, palleſcit ſole cadente;
Talis vita hominum fluit, ac mutatur in horas;
Et nunc ſtagna ſecat Zephiris tranquilla ſecundis.
Nunc afflicta vadis, aut duris cautibus hæret.
Nonne vides, quam dira lues, & fœda repente
Tempeſtas Venetum florentem inuaſerit vrbem?
Vt nunc mæſta ſedet pelagi Regina frementis,
Tonſa comam, lacerata genas; percuſſaq́; palmis
Pectora, natorum aſpectans infanda ſuorum
Funera? cælicolas votis proſtrata fatigat,
Aſtra ferit clamore; undiq; manantibus auget
Fletibus. ipſa etiam cautes, ipſa æquora, quanquam
Sæua, gemunt, dominam tantos haurire dolores.
Ecce aliquis, Cererem miſſus, Bacchumq́; parare,
Adfert pro victu virus. conuiuia luctu
Turbantur, dum læta alibi connubia iungunt;
Dum ſaltus dant, & tacta teſtudine plaudunt,
Ecce cadit, ſubita morte, immatura puella,
Et ſponſum pheretro mutat, thalamosq́; ſepulchro;
Atque aliquis veterem, tandem, complexus amicum,
Oſcula dum figit miſero, letale venenum
Inſpirat, (res mira) cadit qui peſte carebat,
Viuit is, in cuius latitabat merſa medullis.
Vrbem alius trepide fugiens, peſtem hauſit in ipſa
Aut cymba, aut rheda. Crebro quod rere ſalubre
Mortiferum eſt. Mens cæca hominum, atque ignara futuri.
Coniugis ante pedes coniux procumbit, & ipſum,
Attonitum caſu, letalibus afficit auris.
Euadunt famuli, natique, & ſola relinquunt
Tecta fuga: trepidatq́; metu viciniæ tota.
Non aliter, quàm cum cælo graue fulmen ab alto
Finitimas tetigit flammis ardentibus ædes.
Ex ipſo infælix ſuxit puer vbere mortem,
Mortem æger tepido incluſam medicamine ſuxit.
Funera funeribus cumulantur, mortua viuis
Corporibus permixta iacent: iuuenta magiſtros

Defi-

Deficiunt; nec iam vlla facit decreta Senatus;
Tantum orat; ſupplexq; manus ad ſidera tendit.
Interea creſcit virus, lateque vagatur;
Non ſocer à genero, non hoſpes ab hoſpite tutus.
Si qui tabificum forte euaſere venenum,
Illos certa domant ieiunia; ſqualidæ pallent
Ora fame, & rigidis hærent vix oſſibus artus;
Genua labant miſeris. Complexæ pignora matres
Expirant animas; trepidi clauſere tabernas
Artifices; pendent opera imperfecta per vrbem.
Quid multa? vrbs Italæ decus, & clariſsima gentis
Gloria, tot grauida imperijs, tot clara triumphis,
Vel Parthis, Scythiaque iacet miſeranda tyranno.
O hominum tenui quam pendent omnia filo.
I. nunc tolle animos, & rebus crede ſecundis.
Nec vero (vt video) credis, fidiſue, nec omni
Committis, nimium cupidus, tua carbaſa vento.
Cura tibi egregijs animum complere capacem
Doctrinis, nomenq; tuum ſecernere vulgo,
Laudibus ingenij; queis haud ſecus vndique flores,
Quam varijs late pubeſcens floribus hortus,
Fœcundo quem terra ſolo, quem dædala multa
Arte manus coluit, mites qua ſurgit in auras
Pauſilypus, clarus Sinceri carmine collis.
Eloquij vis nota tibi, ſeu tollere cœlo
Magnanimum res, ac decora immortalia Regum;
Seu placare feros, ſeu mens impellere ſegnes,
Seu retinere hilari caros ſermone ſodales.
Nunc riuus, vt mixtus, tonitruque, & grandine nimbus,
Nunc tanquam infuſus pratis florentibus amnis;
Nunc velut æſtiuo percuſſus ſydere riuus.
Seu Romana rapit, ſeu te facundia Gratum,
Loetantur veterum manes, animæque virorum;
Seu te hiſpana trahit forte altiloquentia, ſeu te
Gallica mollities, ſeu te ſermonis Hetruſci
Mundities, ſplendorque iuuat, tibi tempora nectet

Fronde Arnus merita, Rhodanuſque, & diues Iberus.
Nimirum non forte volant tibi inania verba;
Verba ſed è pleno manantia pectore veri.
Naturę tibi merſa patent arcana tenebris,
Quę vis materię, partes infuſa per omnes,
Inſtabili varias iungat ſibi fœdere formas,
Quamque habet excutiat, quam non habet, expetat vltrò,
Inconſtans, nullaque colat connubia lege,
Qualis adulterijs infamis fœmina crebris.
Sit ne eadem ſtellis gemmantibus; atque caducis
Rebus materies latè ſubiecta? quid aſtris
Debeat inferior moles, atque ipſa voluntas?
Sit ne aliquid prçter lumen, quò Phoebus, & orbes
Aetherei afficiant ignem, mare, nubila, terras.
Et quę mixta gerunt ignem, mare, nubila, terras.
Quę nam cauſa ſalis ſpumantis conciet ęſtus
Tam varios? neque enim. Siculi freta feruida ponti,
Et Geſſoriaci motu turbantur eodem.
Et mare ab Euxino Aegæum quod manat in ęquor,
Sic fluit, vt nunquam conuerſis refluat vndis.
At vero Herculeas fauces quod verbere plangit,
Sic fluit, vt ſemper conuerſis refluat vndis.
Adde, quòd occaſus ſolis petit æquor Eoum,
Occiduumq; ortus. Darièna hinc littus, & inde
Percuſſa reſonat tellure, atque aſtra laceſſit.
Quodque mihi auditu mirum accidit, atque aſpectu,
Cęrula dum Venetis rapior per ſtagna phaſelis,
Septima cum cœlo ſeſe luna extulit alto,
Atque octaua, iacent maria, atque immota recumbunt,
Et nonę incipiunt rurſus feruere ſub ortum.
Quę ratio cur tam varij tibi cynthia vultus,
Tam varij curſus errantibus æthere flammis?
Cum te orbes ſupra poſiti voluantque, rotentque,
Cur nil ipſe moues ſphęras Saturne minores?
Quanta adhibenda fides Chaldęis, quanta futuros
Aeris incerti motus audentibus olim,

Deſcripſiſſe, velut prognata oracula Delphis,
Ortaue chaoniis in ſyluis? talia nemo
Euocet ætherias melius te lucis in oras.
Quid virtus ſit, quid vitium, quis terminus vltra
Quem nequeat pulchrum, nequeat conſiſtere rectum.
Quis finis, quo res omnes referantur, & ipſe
Haud vſquam. quo ſint virtutes fœdere nexæ;
Quid reliquis tribuat prudentia dia, quid iſti
Contra illæ referant, hæc tu altis fontibus hauris,
Fœcundasq́; tuos ingenti gurgite campos.
Quæ ratione vrbes frenandæ, atque arte regendæ,
Ate, vtinam, tandem, tua diſcere patria poſſet.
Conſiliis parere tuis præſtantibus illa
Si poßet, fœlix belloque & pace vigeret,
Libertate domi, foris inclyta Marte ſuperbo.
Non Regum nutus ęgra obſeruaret, at ingens
Viribus & terras frenaret, & æquoris vndis
Iura daret, Cypri Reges, Syriæq́; feracis
Horrerent ligurum claſſes, Thracumq́; tyranni,
Rurſus & Aegeum, Genuam, Euxinumq́; per æquor.
Multa cauis Genuam reſonaret rupibus Echo.
Nunc iacet, heu, dum bella gerit ciuilia, & amens
In ſua diſtrictum conuertit viſcera ferrum.
Tu, quoniam ſpes nulla, premis ſub corde dolorem.
Iam quid Cæſareas leges? quid iura piorum
Pontificum memorem tibi nota? quid abdita cœli?
Natura vt triplex ſubſiſtat hypoſtaſis vna,
Compleat immenſum vt diuinus ſpiritum orbem,
Omni mole carens, atque omnis corporis expers:
Quæ vis tanta vndæ, vt corpus contingat, & ægræ
Detergat menti labes, & vulnera ſanet?
Quæ ſtygio vis tanta igni, vt percellat, & vrat
Infectos vitiis animos, & crimine nexos?
Omnia ſi memorare velim, ſol feſſus anhelos
Oceano demittet equos, & dicere ſtultum eſt,
Omnino, quæ cuique oculis cognoſcere promptum eſt.

Non

Non ita tu ſophiam tamen amplexaris, & artes,
Græcia quas peperit nobis, & maxima Roma,
Vt fugiat te quid rerum toto orbe geratur
Interea. mundum ingenio complecteris omnem,
Gallia quid paritura noui? quem Belgica tandem
Belli habitura modum, quem diſcors Sarmata Regem?
Quid nunquam maturat Iber? qua cogitat arte
Romanus firmare pater, queis viribus ęgras
Chriſtiadum res, & Parthos arcere furentes?
Creta ne, an Melita tempeſtas horrida, quæ nunc
Infeſtis Thracum fremit, atque horreſcit ab oris,
Impendet; Cæſar trepidam munire Viennam
Apparat, an Budam premere, & vexare frementem?
Hoc melius, quam tu, magni haud nouere Tyranni.
Inde gerendarum preſto experientia rerum
Tanta tibi, ſeu de belli ratione mouendi,
Seu de pace graues ediſſeris inter amicos;
Conticuere omnes intentiſq; auribus hærent.

Nec vero te ſola iuuat prudentia rerum,
Moribus hanc pura niue candidioribus ornas:
Nutantemq;, ex ſe, virtutum robore firmas.
Ac veluti Regem meditatus forte magiſter
Aemathium cous, ſic lumina miſcet, & vmbras,
Sic oculos, ſic arte manus; ſic temperat ora,
Vt caueat ne ſit præclarior illa colorum
Munere, quam laude ingenij, manuumq; labore.
Haud aliter mira inſtituens tu ducere vitam
Illuſtrem ratione, caues præſtantius almis
Virtutum titulis, ne quid miremur in illa.

In primis vero diuina modeſtia viſa,
Cui numero ex omni dicas, quę dicere amantes,
Verba ſolent miſeris nimium, heu, iam nota puellis.
Hanc tibi connubio ſociaſti: hanc pectore toto
Hauſiſti, hanc geris ore, oculis hanc lenabus apte
Exprimis. hæc animi motus, hæc corporis omnes,
Immiſſis, preſſiſque velut moderatur habenis.

Huius ope, humanæ media inter crimina vitæ,
Et rerum varios motus, hominumq; labores,
Totque viros, gente ex omni, tua limina vulgo,
Mellificæ vt volucres fului prętoria Regis,
Qui celebrant, purum labis trahis integer æuum.
Qualis ſarmatici tranquilla Beryſthenis vnda
Tendit inoffenſos, olei immerſabilis inſtar,
Per torrentem Hypanim curſus, tetrumque per amnem
Illimes tutatur aquas, ac lene fluentes.
Qualis, & occiduis Libyę flagrantis ab oris,
Haud olim Heſperijs ignotus claßibus amnis,
Carmanos ſiquando petunt Seraſue repoſtos
Millia per decies ſena, altum excurrit in ęquor,
Sic vt aquas nullus pelagi contriſtet amaror.
Talis tu pelago fælix verſaris in iſto
Mortalis vitæ illecebris intactus, & ægri
Sic, quaſi agens aliud, vitas contagia ſæcli.
Quòd ſi audire aliquid ceu fit, tibi forte neceſſe,
Siquid amicorum cauſis impendere cura,
(Et quis amicitias coluit ſtudioſius, aut quis
Aut opera, aut auro ſocios plus iuuit egentes?)
Quod Peneus, facit, ipſe facis. qua Theſſala Tempe
Perpetua herboſi veſtit clementia veris,
Euroton exceptum, ſed non (mirere) receptum,
Tranſportat Peneus, vitreo nitidißimus amne,
Liuentem, piceoque vndas horrore nigrantem,
Certum per ſpatium, donec ſe eiecerit vltrò.
Ipſe ſuos peragit liquenti gurgite curſus,
Non te vexat amor fului inſatiabilis auri
Contentum modico. non aulę more, nec arte
Seruili, teque indigna, venaris honores,
Prẹmia virtutis. non te importuna cupido,
Stultaue credulitas, abducit tramite recto.
Sat te ſola beat moderatę gloria mentis.
Non ſolum paribus Pinelle impendis honorem,
Exteriorq; loco cedis, dicìſque ſalutem,

Appel-

Appellasq́; prior, verum omni parte minores
Sponte gradum conferre, pareſque incedere cogis.
Nec magis extenuat quiſquam ſua, nec magis alte
Fert aliena: haud vt tamen admireris, & ornes
Indigna, & cygni plumas affingere coruo,
Te, iuuet, aut falſis blandiri vocibus vlli.
Seruile eſt mulcere aures, blandumq́; ſonare.
Turpe, vt amicitias veneris, prodere verum.
Recta virum, & ſincera decent, ac neſcia fuci.
Extrema Aethiopum fertur regione tepentum
Mons humeros inferre polo, atque accedere cælo,
Sic vt nulli agitent immota cacumina nimbi;
Vere ſed æterno vigeant, & ſole nitenti,
Inſanas hyemes, fremitumq́; Aquilonis, & Auſtri
Audit ſub pedibus, motura & fulmina gentes,
Largificosq́; imbres, tempeſtasq́; ſonoras.
Haud aliter tu (quæ magna indulgentia Chriſti eſt)
Intentus cælo, atque animi inuariabilis alta
Pace fruens, vitæ ſpeciem hanc, & fumea rerum
Lumina, quæ multorum oculis tam læta videntur,
Cæteraq́; incerti rides miracula vulgi,
Vſqueadeo ſedit tibi amica modeſtia cordi.
Hæc magnas inter laus eſt tua maxima laudes:
Vt varios inter picti roſa veris honores,
Quos placidas iactat Chloris, ſpargitq́; per auras.
Non igitur mirum; ſi tot tibi iungis amicos,
Ingenijs, nec non Illuſtri ſanguine claros,
Pene omni de gente. Tagus, quos turbidus auro,
Quos oleis veſtitus Anas, quos Rhenus apricis
Vinetis, quos lentus Arar, quos Viſtula præceps,
Quos medicis Sebetus aquis, quos gurgite vaſto
Proluit Eridanus, celebrant tua tecta frequentes,
Qualiter Aſſyriæ rutilum Phœnica volucres.
Quinetiam hinc Ligurum Princeps vrbs; nobilis, inde
Parthenope, certant inter ſeſe acriter, vtra
Te ciuem, natumq́; ſuum ſibi vendicet olim:

Nec

Nec vero Patauina nihil conetur, & auſit
(Quamquam heu feſſa malis) tanto prò nomine ſedes.
Nimirum, non ſic affinis pondera ferri
Allicit ad ſeſe magnes, aut lumina primo
Mane dies, virtus vt, ſole nitentior ipſo,
Ignotos, notoſque trahit, iungitq; volentes.
Atque ea præcipuè, quà re ipſe excellis in omni.
Hinc amor, & laudum tanta argumenta tuarum,
Hinc decora egregia, hinc oti florentis honores.
Quos quanquam ingenti virtute tueris, & auges:
Haud virtute tamen temnis Pinelle minori,
Immo eadem penitus; nimirum ea gloria demum eſt,
Non quæ hominum ex ſenſu, verùm ipſo à numine pendet.
Cætera more niuis, primo languentis Eoo,
Labuntur, tenues ſenſim diſiecta per auras:
Gratia, amicitiæ, atque aggeſta talenta talentis,
Et demum quidquid vulgus miratur ineptum.
Filius ille patris ſummi, qui, miſſus ab aſtris,
Vitam morte ſua nobis dedit, alitis inſtar,
Qui, paſcit caros, perfoſſo pectore, fœtus;
Humanas quam tempſit opes, quam tempſit honores,
Quam populi plauſus? vrbem cum poſſet, & orbem
Frenare imperijs, atque omnia regna tropheis
Inſignire ſuis, famamq; extendere factis,
Vitam ignotus, egens, exegit, proditus hoſti.
Raptatus, uinctusq; manus, cæſuſque flagellis,
Heu niueos artus. Quis cætera carmine teniet,
Soluere quæ in lachrimas poſſint, gemituſque, colubros,
Et tibi ſunt imis percepta, & fixa medullis?

QVAE IN HANC SILVAM INCVRRERVNT
Errata ſic corrige.

Pag. 3. Imprimis.	In primis.
Pag. 5. Sic riuus.	Sic ruis.
Pag. 5. Dædola.	Dædala.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]